

SAM. STRYKII,
ICTI ET ANTECESSORIS
EXAMEN
IVRIS FEVDALIS
EX EIVS
NOVISSIMIS INTERPRETIBVS
IN
GRATIAM AVDITORVM COLLECTVM
AC
METHODO INSTITVTIONVM
DISPOSITVM



ACCESSIT
APPENDIX SOLLEMNIVM,
QVIBVS HODIE APVD IMPERATOREM
PRINCIPES INVESTIVNTVR
SVBIVNCTA
TAXA DIGNITATVM
IN IMPERIO ET VASALLAGIIS.

EDITIO NOVA CORRECTIOR
CVM PRIVILEG. BRANDENBVRG. ET SAXON.

FRANCOFVRTI AD *VIADRVM*,
IMPENSIS IO. IOACH. FRIDELII,
CIↃ IↃ CCXXXXV.





LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

BIBLIOPOLA


Nouam libelli praeſtantiſſimi noſtris ſumtibus impreſſam editionem tibi, beneuole lector, exhibemus, rogantes, ut et eam benigne excipias. Tot hactenus exhibitae editiones argumento luculentiſſimo ſunt, libellum harum rerum cupidis ualde placere, neque timenda eſſe quorumdam ſiniſtriora iudicia, quum quotidie emtores inueniat, immo plures, quam antea, examen hoc Strykianum. Nec quemquam fugit, in ſupremis Imperii dicaſteriis iudices grauiſſimos plerumque deciſiones Strykia-

nas in decidendis controuersiis sequi solere. Nostrum uero est de noua editione pauca monere, ut quid in ea praestitum sit, in limine pateat. Et primo quidem, quod ad formam, quam nostri ordinis homines uocare solent, attinet, priorem mutauimus, eligentes commodiorem longe, octauam. Dein errata multa typographica, quae priores editiones inquinauerant ualde, iam sunt emendata: nisi forte noua irrepserint, quae diligentia nostra caueri haud potuerunt, siquidem libellus ipse Vitembergae fuit impressus. Denique quod ad sollemnia inuestiturarum attinet, multa equidem hodie longe aliter se habent: sed angustum temporis spatium omnia quae mutata sunt, emendare haud siuit; quae adeo nouae reseruamus editioni. Haec sunt, quae monenda esse duximus. Interim uale, b. l. nobisque faue. Dab. *Francofurti ad Viadrum* mense April. cIↃ IↃ cc xxxxv.

SAM.

SAM. STRYKII

EXAMEN IVRIS FEVDALIS.



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

SAM. STRYKIVS.

Tribus tantum uerbis tibi reddenda ratio, beneuole lector, quae praeſentis *Examinis iuris feudalis* editionem extorſerit. Sexennium iam integrum eſt, cum iuris feudalis interpretationem a me deſiderarent ſtudioſi. Verum ſynopticam ſaltem flagitabant, non pleniſſimam huius iuris diſcuſſionem. Quamuis ergo compendiorum non deeſſet copia, diſplicebant tamen ea propter, quod plerumque conciſe nimis hoc ius exhiberent, uſum uero eiuſdem uel penitus negligerent, uel parum tangerent. Inde, ut colligerem ex recentioribus huius iuris interpretibus, quae utiliora aeſtimarem, petierunt. Praeſtiti illud, ac, quantum licebat, methodo Inſtitutionum exhibui; ita tamen,

ut ſemper ad fontes, unde haec hauſta, remiſerim lectorem, ex quibus leui opera, quae deeſſe uidebuntur, ſupplere poterit. Quaeſtionibus uero propterea includere uolui, ut eo magis priuato ſtudioſorum uſui inſeruiret, ac ſolitario examini commodum foret. Expoſui eaſdem ſemel iterumque priuatis lectionibus; et, cum denuo eamdem operam a me rogarent, ſed deſcribendi taedio liberari uellent, ipſique ſumtus preli offerrent; detuli tandem deſiderio ipſorum, ſed hac lege, ne plura typis exſcriberentur exemplaria, quam quae ſtudioſis heic loci ſufficere poſſent. Quodſi ergo ad aliorum manus forte deuenerit libellus, reputent illi, non doctorum, ſed diſcentium utilitati hic a me uelificatum. Cui diſplicuerit methodus, utatur alia. Si forte deciſio ingrata, ſciat, maluiſſe me doctorum ueſtigia premere, quam in informanda iuuentute cerebro nimium indulgere, et fictas auditoribus obtrudere opiniones. Vale. Dabam *Francofurti ad Viadr. d.* 23. *Febr.* 1675.

Non

Non prolixa excuſatione opus fore credo, lector candide, quare iteratis typis hoc *Examen iuris feudalis* deſcribi permiſerim. Quippe primae editionis rationes tibi reddidi in praefatione, qua tunc temporis te allocutus; functionis meae mihi ubique habenda fuit ratio, cuius praecipua pars eſt, non, ut falſo ſibi perſuadent aliqui, *doctoris gloria*: ſed *auditorum utilitas*. Hanc unice ut promouerem, hactenus fui ſollicitus, nec ſucceſſu infelici. Illam itaque cum in prima editione intenderim, nolebam tunc temporis, ut exemplaria in aliorum manus deuenirent; ſed multorum auditorum diſceſſu factum, ut in aliis quoque academiis innotuerit hoc examen. Hinc exemplaria ſubinde deſiderata, et cum ea ſuppeditare bibliopola non ualeret, me rogauit aliquoties, ut permitterem, quo ſecunda uice prelo committeretur. Quod denegare ulterius non potui, cum nec hic loci auditoribus me-

is ullum exemplar ſupereſſet. Permiſi itaque, ut publici iuris fieret libellus, hac fretus fiducia, eum apud bonos excuſationem meriturum. Malis uero, etiamſi optimus eſſet, placere non poterit; nec uolo, ut placeat: talibus enim placuiſſe, eſt diſplicuiſſe. Vale, lector beneuole, et, quae appendicis loco circa inueſtiturarum ſollemnia adiecimus, boni conſule, ſtudiiſque noſtris, ut hactenus feciſti, faue. Dabam *Francofurti ad Viadrum*, d. 3. *Maii* 1679.



CAPVT



CAPVT I.

DE ORIGINE IVRIS FEVDALIS EIVSQVE AVCTORITATE.

GENERALIA CAPITIS.

1. Feudorum indoles cum consistat *in concessione utilitatis* unius uel alterius rei *sub lege fidelitatis*: hinc, ubi locorum uel gentium receptum fuit, sub conditione fidei specialis, utilitatem certi praedii concedere, ibi quoque feuda recepta, licet nomen ignoratum, nec forma concessionis ubique aequalis fuit.

2. Fidelitas quidem illa ab initio praecipue consistebat in praestatione seruitiorum militarium, inde, *cui iuri originem bella debent, etiam feuda adscribi possunt*: sed successu temporis ad alia fidelitatis officia feudorum appellatio extensa.

3. Feudis introductis, certis legibus opus fuit, quo illa continerentur, et cum quisque rei suae, quam in alterum transfert, legem dicere possit, quam uelit: sine dubio ab initio merum *ius conuentionale* inter dominum et uasallum obtinuit, quod cum alii pariter imitarentur, tandem *consuetudo* inde orta.

4. Inter has uero consuetudines ad nostram notitiam praecipue peruenerunt Langobardicae, quae per *usum et obseruantiam* effectum iuris nactae.

I. *Vnde originem trahunt feuda?*

Certo modo, et si formam feudorum genericam consideres, dici potest, ex iure gentium. Hoc enim ratio naturalis, iuncta necessitate publica, exigit, ut militibus potissimum praedia ab hostibus occupata pro bene meritis concederentur, sub conditione tamen fidelitatis, quo eo securior esset respublica, et ad patriam defendendam magis allicerentur. Deinde etiam ipsi contractus, per quos feuda constituta, ex iure gentium dependent; ANTON. *Disp. I. th. 1. lit. C. in fin.* Accedit his gentium plerarumque receptio, seu approbatio; nam in Asia quoque apud lapponenses feuda esse, probat MAVRIT. *Posit. iuris feud. controu. decad. I. posit. 5.*

2. *Sed a qua gente potissimum orta?*

Germanis originem adscribit STRVV. *c. 1. th. 3.* Conf. EYBENII *Elect. feudal. c. 4. §. 1. seqq.* Romanis uero accepta fert HATTYSER *in Anal. iur. feud. c. 1. pr.* VVLTEI. *de feud. c. 1. in fin.* Plerique fere ad Langobardos initium referunt. LVDWELL. *in Synops. feud. pag. 3.* Alii demum ad Gallos et Francos: MOLINAEVS *ad consuet. Paris. tit. 1. pr.* sed omnia haec in coniecturis con-

consistunt. Francos tamen Germanos fuisse, ostendit ITTER. *de feud. imper. c. 1. §. 10.*

3. *Annon uero S. Scriptura feudorum penitus ignara?*

Neg. Nam et ibi, quae ad feuda referri possint, occurrunt. Regibus enim bello subactis, haud raro regna sub fidelitatis lege relinquebantur, immo interdum iuramentum fidelitatis exigebatur; cuius exemplum occurrit *2. Paral. 36. u. 13.* conf. *Genes. 14. u. 4.* NIEL. *Disp. feud. I. th. 1.* immo et Herodes Vasallus Romanorum fuit.

4. *Quid ergo de origine feudorum, prout hodie sunt, statuendum?*

Consuetudini gentium, praesertim Europaearum, adscribenda uidetur, ita quidem, ut pedetentim apud plures inualuerit, sub fidelitatis promissione liberalitatem exercere, inter quas tamen Germanis (sed in sensu latiori acceptis, de quibus uid. HEIG. *Quaest. illustr. Lib. I. quaest. 1.*) plurimum deberi, negari nequit, donec tandem Langobardorum moribus magis informata, et specialia quaedam circa feudorum constitutionem recepta. Imperii uero feuda sub Carolo M. initium coeperunt. ITTER. *d. l. c. 1. §. 11.*

5. *Vnde uero ipsum ius feudale?*

Aut quaero de iure feudali in genere, aut quaero de illo, quod Corpori iuris adiectum. Illud Langobardis adscribi non potest, cum du-

bium non ſit, gentes diuerſas, recipiendo pedetentim feuda, iura quoque ſpecialia ſibi circa eadem conſtituiſſe, ab initio quidem conuentione, poſtea etiam lege publica. *Vid.* GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap.* 7. § 21. Hoc uero Langobardorum moribus adſcribendum. Confer. STRVV. *c. 1. th.* 5. quamuis lapſu temporis alia huic iuris ſuperaddita. Vid. *quaeſt.* 7.

6. *Vnde autem de hoc conſtat?*

(1) Ex uocabulorum in iure feudali occurrentium ſignificatione; pleraque enim Langobardica ſunt, ut *feudum*, *uaſallus*, *ſoldata*, *felonia.* (2) Ex textu 2. *F.* 1. §. 1. ubi expreſſe dicitur, quod cauſſae feudales dirimantur iure Langobardorum, non iure Romano, niſi ſaltem in ſubſidium. Vid. GIPHAN. *Diſput. feudal. II. n.* 9.

7. *Sed an integrum hoc ius, uti exhibetur, a Langobardis eſt,*

Non; ſed principia quaedam ex iure Romano ſunt; quaedam uero ex conſtitutionibus principum adiecta: unde Lotharii, Conradi II. et III. ut et Friderici I. imperatorum conſtitutiones in iure feudali conſpiciuntur. STRVV. *c.* 1. *theſ.* 5. *num.* 3. ANTON. *th.* 1. *litt.* G. HORN. *Iur. feud. c.* 1. §. 2. Immo et pontificum decreta adducuntur, 1. *F.* 6. ANTON. *litt. H.* quorum plura recenſet HORN. *d. c.* 1. §. 37. *in fin.*

8. *Sed*

8. *Sed si a Langobardis ius feudale est, quare itaque a compilatoribus* antiquissimum *dicitur?*

Dicitur quidem ita *1. F. 1. §. 1.* sed hoc ratione compositionis intelligendum; statim enim post obitum Iustiniani Langobardi Italiam ingressi anno 568. quo tempore quoque credibile est, feuda pedetentim ab aliis esse constituta; compilatores uero feudorum uixere circa annum Christi 1150. et ita 600. fere annis post, ut hoc respectu merito *antiquissimum* dici possit, LVDW. *Synops. cap. 1. pag. 5.* Conf. BITSCH. *Comm. iur. feud. pag. 27.* qui *antiquissimum* dici putat, non absolute, sed ratione subsequentium iurium, quorum mentio fit *1. F. 1. §. 1.*

9. *Quinam sunt compilatores iuris feudalis?*

Receptior sententia est, primos fuisse GERARDVM NIGRVM, et OBERTVM DE ORTO, consules Mediolanenses, uti apparet ex inscriptione *2. F. 1.* alibi dicuntur *sapientes ciuitatis*, *2. F. 25.* qui ipsi sub imperatore Friderico I. circa annum Chr. 1150. floruere. Subsequente uero tempore ab aliis speciales quaedam consuetudines adiectae. Vnde factum, quod Gerardus et Obertus saepius ut testes citentur, *2. F. 25.* quo ipso in contrarium moti LVDW. *p. 7. et* STRVV. *c. 1. th. 5. n. 2.* Imperatorum uero constitutiones HVGOLINVS ICtus adiecisse dicitur: VVLT. *de feud. Lib.*

Lib. I. c. 1. et ab hoc quoque primum ius feudale Corpori iuris adiunctum. STRVV. *tb. 7. n. 4.* RHETIVS *Comm. iur. feudal. prooem. uerb. incipiunt. num. 6.*

10. *Ad quam iuris speciem ius feudale referendum?*

Ad ius non scriptum, seu consuetudinarium: ex consuetudinibus enim idem collectum, *2. F. 7. pr. 2. F. 9. pr.*

11. *Sed quid hodie, ubi in scripturam redactum?*

Adhuc tamen consuetudinis naturam retinet. Nec obstat *L. 36. D. de legib.* Ibi enim non, quod non possit, sed quod non necesse sit, scribi consuetudinem, dicitur. Distinguendum uero inter scripturam, publica auctoritate factam, et priuato tantum studio memoriae caussa exaratam: illa auctoritatem legalem consuetudini tribuit, si de hac intentione principis constet; non haec. STRVV. *c. 1. tb. 7. n. 5.* LVDW. *Synops. p. 10.*

12. *Quid uero de imperatorum constitutionibus in ius feudale relatis?*

Eae quidem legis uigorem obtinent; interim tamen adhuc a potiori, id est, a consuetudine ius feudale denominandum. FINCKELTH. *Controu. feud. disput. I. quaest. 6.* RITTERSHVS. *Partit. feud. Lib. I. c. 1. quaest. 1.* Non enim potest una

altera-

alteraue constitutio imperatoria, consuetudinibus inserta, harum indolem immutare.

13. *Sed an Germani hoc iure feudali obligantur?*

Distinguendum inter ius feudale, quatenus constat ex rescriptis impp. aut ex consuetudinibus Langobardicis. Priori casu omnes in imperio Romano uiuentes obligat, nisi posteriori lege uel consuetudine contraria aliquid abolitum: secus in casu posteriori. VVLT. *Lib. I. c. 1. num. 5.*

14. *Quo iure itaque obseruantur hae consuetudines?*

Ex recepto; quatenus scil. spontaneo quodam arbitrio, sciente et non contradicente imperatore in scholas deductae, explicatae, et communi iudiciorum obseruantia comprobatae. VVLT. *d. loc. n. 6.* STRVV. *d. th. 7. n. 4.* Conf. *quaest. 17.*

15. *Quando in Germaniam hae consuetudines transiere?*

Credibile est, hoc demum factum esse circa initium saeculi XV. ubi primum in Germania iura doceri, et academiae institui coeperunt. CONRING. *de orig. iur. Germ. cap. 32. in fin.* STRVV. *d. loc. n. 3.*

16. *Sed*

16. *Sed numne publica imperii lege hae consuetudines confirmatae?*

Neg. Nullibi enim constitutio huiusmodi exstat, uid. CONRING. *d. tract. cap. 33. in fin.* nec credibile est, libellum feudalem, quem ANTONIVS MERICVTIVS *de* PRATO VETERI, ICtus Bononiensis, imperatori Sigismundo anno 1428. exhibuit, si confirmationem impetrasset, (quod prolixe negat BITSCH. *Comm. feud. prooem. pag. 6. seqq.*) periturum fuisse; quem libellum desiderant STRVV. *d. th. 7. n. 6.* et CONRING. *d. cap. 33. §. penult.* Eius tamen editionem promisit ex manuscripto ERICVS MAVRITIVS in *Disp. de libris iur. ciu.* § 25. Imo eundem sub nomine MINCVCCII iam edidit SCHILTERVS in *Iure feudali Alamannico.*

17. *Ergone penitus nulla huius iuris feudalis confirmatio in constitutionibus imperii facta?*

Adest confirmatio implicita, quae eo ipso contigit, dum in *Recessibus imperii* ad ius feudale prouocatur, uel idem ut receptum allegatur. *Declarat. pac. publ. de anno 1548. tit. 3.* ibi: was das Lehenrecht vermag. Sicut et termini Langobardorum in Recess. Imp. occurrunt. *Recess. de anno 1567. §.* und nachdem ferner, *ibi:* Felonep. Conf. RHETIVS *Comm. iur. feud. p. 10. seqq.*

18. *Quale*

18. *Quale uero ius circa feuda ante saeculum XV. obseruarunt Germani?*

Praeprimis obtinuit ius feudale Saxonicum et Sueuicum: STRVV. *th. 5. n. fin.* CONRING. *d. tr. c. 30. in fin.* HORN. *§. 32.* quibus postea eatenus derogatum, quatenus Langobardorum consuetudines receptae, uel nouissimis constitutionibus aliud inductum. ITTER. *de feud. imper. cap. 2. §. 6.*

19. *Quotuplex hodie ius feudale in Germania?*

Duplex; *commune*, et *speciale*. Illud est, quod in *corpore iuris* nobis exhibetur, quorsum referunt etiam *constitutiones* quorumdam *pontificum* ex *iure canonico*, STRVV. *d. cap. 1. th. 7.* quas recenset GOTHOFRED. ANTON. *Disput. I. th. 1. litt. G. et H.* Ad hoc uero spectant specialia prouinciarum statuta, et consuetudines singulares. STRVV. *d. loc. th. 8.*

20. *Quam uero auctoritatem habent* constitutiones pontificum *de feudis?*

Non aliam, quam ipsum ius canonicum; hoc uero in terris Euangelicorum non ualet, nisi qua receptum; ut hinc idem de consuetudinibus feudalibus eo iure contentis dicendum sit, scilicet receptionem, cum facti sit, probandam esse.

21. *Num-*

21. *Numne itaque textus iuris feudalis, ut authenticus, allegari potest?*

Hoc usu obtinuit. LVDW. *Synops. cap. 1. p. 12.* Hinc eamdem, quam ius scriptum, obtinet auctoritatem, nec probatione opus habet: STRVV. *d. th. 7. num. 7.* SCHRADER. *de feud. Part. I. quaest. 1. num. 11.* unde et error consuetudinum feudalium non praebet excusationem, quia habetur pro errore iuris communis. SCHRAD. *d. l. n. 13.*

22. *Sed an hoc in omnibus capitulis procedit?*

Non; sed in *ordinariis* tantum; *extraordinaria* uero (quae incipiunt post *tit. de notis feudor. a tit. de alienat. feud. 2. F. 73.* usque ad *fin. libri II.*) dubiae auctoritatis sunt: et hinc, quoties cum capitulis ordinariis conueniunt, uel ad ordinariorum explicationem faciunt, uel casum in ordinariis non decisum continent, allegari quidem possunt, non uero, si ordinariis contrarientur. LVDW. *d. c. 1. p. 13.* STRVV. *d. th. 7. num. 10.* Dissentit FINCKELTH. *Disp. I. controu. 16.* Verum iam olim de horum capitulorum auctoritate dubitatum, unde has constitutiones *Extrauagantes* uocauit MERICVTIVS allegatus *in Quaest. 16.* Vid. MAVRIT. *Controu. feud. dec. I. posit. ult.* Nec ACCVRSIVS in corpore glossato illa retulit.

23. Quo

23. *Quo ordine in decidendis controuersiis feudalibus progrediendum?*

(1) Inſpiciendae ſunt litterae inueſtiturae, et quidem antiquiores, quibus ante omnia ſtandum. *2. F. 2. c. 1.* STRVV. *cap. 1. th. 11. num. 3.* Nam, ſi in poſterioribus quid mutatum, hoc praeſumitur ex errore factum, niſi noua domini et uaſalli conuentio appareat. SCHRAD. *Part. V. cap. 2. n. 39.* (2) Si hic dubium deciſum non ſit, ad ſpeciales cuiuſuis loci conſuetudines recurrendum, quae derogant iuri generali. ROSENTHAL. *c. 1. Concl. 13.* (3) Si hae quoque deficiant, ad ius feudale commune progrediendum. STRVV. *th. 13.* ANTON. *Diſſ. I. th. 1. litt. M.*

24. *An uero conſuetudines feudales praeualent iuri ciuili?*

Affirm. in materia feudali, quia ad has ius ciuile non, niſi per argumentum, trahi poteſt. RITTERSHVS. *Paratitl. feud. Lib. I. cap. 1. qu. 3.*

25. *Quid ſi uero diuerſa ſint iura in loco, ubi feudum ſitum, et ubi contractus ſuper feudo celebratus?*

Si de ipſo feudo quaeſtio ſit, attendenda iura loci, ubi ſitum eſt feudum: et ſic feuda Saxoniae ex iure Saxonico diiudicanda: ITTER. *c. 2. ʃ. 2. in fin.* ſi de contractu, attendendus eſt locus contractus. *Argum. l. 6. D. de euict.* Et quamuis in curia domini aliud obtineat; haec ta-

men iudicare debet ſecundum ſtatuta rei ſitae,uel contractus. STRVV. *c. 1. th. 12.* ANTON. *d. l.* ROSENTHAL. *cap. 1. concl. 14. n. 21. ſeq.*

26. *Sed quid, ſi nec iure feudali controuerſia deciſa ſit?*

Tunc primum ad iuris feudalis rationem; ea uero deficiente, ad ius ciuile recurrendum: 2. *F. 1.* FINCKELTHVS. *Diſput. I. controuerſ. 9.* STRVV. *cap. 1. th. 14.* quorſum tunc ſpectant argumenta a liberto ad uaſallum, ab Emphiteuſi ad feudum, quae eouſque procedunt, quouſque non apparet manifeſta diuerſitatis ratio.

27. *Licebitne uero a ſimili argumentum in iure feudali deducere?*

Si ratio in iure feudali ſit expreſſa, licite ad ſimilia producitur: *L. 12. D. de legib.* SCHRAD. *Part. I. qu. 3. n. 9.* ſi non expreſſa, regulariter ad ſimilia non producendum, niſi diſpoſitio ſine extenſione foret eluſoria. SCHRADER. *d. quaeſt. 3. n. 5.*

28. *Sed quid, ſi ius ciuile iterum a iure canonico illo caſu diſcrepet?*

In terris eccleſiae ius canonicum, in terris imperii ius ciuile ſequendum putant doctores. VVLT. *de feud. Lib. II. cap. 3. n. 26.* LVDW. *cap. 1. pag. 19.* Semper tamen attendendum, annon ius canonicum hoc caſu receptum, quod praeſumi-

ſumitur, quoties de peccato uitando agitur. SCHRADER. *P. I. qu. 6. n. 5.*

29. *An uero, ſi controuerſia non feudalis occurrat, illa ex iure feudali decidi poteſt?*

Negat hoc STRVV. *d. th. 14. n. 3.* ſed uerius affirmatur in caſu, ſi ius ciuile deficiat; ſi cui enim conſuetudini hoc caſu ſtandum, ita et iuri feudali uim conſuetudinis obtinenti. LVDW. *p. 19.* Exemplum eſt in iure protimiſeos intra annum inſtituendo, quod iure ciuili non determinatum. CARPZOV. *Part. II. conſt. 22. def. 2.* Secus ſi contra ius ciuile allegetur. RITTERSHVS. *Paratitl. feudal. Lib. I. c. 1. quaeſt. 11.* ROSENTHAL. *de feud. cap. 1. concl. 15.* HORN. *§. 10.*

30. *An autem ius feudale ad ciuile uel praetoriorum referendum erit?*

Proprie ad neutrum: Magis tamen ad ius ciuile referendum, cuius naturam omnis conſuetudo imitatur, niſi qua ſeparatam indolem in ſpecie recepit. SCHRAD. *Part. I. qu. 7.*

31. *Sed an a contrario ſenſu in iure feudali argumentum formare licet?*

Affirm. modo diuerſitas rationis non ſubſit, et per contrarium ſenſum ius ciuile uel feudale non corrigatur. LVDW. *p. 18.* Sic 2. *F.* 7. uaſallus dominum bello iuſto iuuare tenetur; ergo aliud erit in iniuſto. Nec obſtat, quod con-

 ſue-

ſuetudo ſtricte explicanda; nam explicatio non tam ex uerbis, quam mente, legis deſumenda, et uerſamur hic in conſuetudine uniuerſali, quae legi aequipollet. STRVV. *cap. 1. th. fin. num. 5.* FINCKELTH. *Diſp. I. controu. 12.*

32. *An uero contraria uel pugnantia in iure feudali occurrunt?*

Affirm. cum partim diuerſo tempore, partim ex diuerſis conſuetudinibus, ius feudale collectum: compilatores uero, ut priuati, auctoritatem decidendi non habuere. Exempla ſunt *2. F. 17. uerſ. nam et illud 2. Feud. 28. §. bis conſequenter.* ubi contrariae opiniones ſine deciſione habentur.

33. *Quae autem opinio hoc caſu ſequenda?*

Doctores communiter hac regula utuntur: *Quoties in iure feudali occurrunt diuerſae ſententiae in uno textu, tunc opinio reprobata plerumque ultimo loco poni ſolet.* MAVRIT. *Diſſ. de libr. iur. ciu. §. 26.* HARTMANN. PISTOR. *Part. qu. 25. num. 30.* Quod tamen interdum fallere uidetur, ut exempla ex *2. F. 17. 2. F. 34. §. 2. et 2. F. 36.* refert ANT. *Diſp. I. th. 1. litt. K.* Immo LVDW. *Synopſ. p. 13.* ultimam ſententiam praeualere dixit. Praecipue ergo uidendum, quae ſententia ceteris iuris feudalis textibus (aut, textu deficiente, rationi iuris feudalis, CARPZOV. *Diſp. feud. I. th. 22.*) ſit conuenientior. Si uero

ro contrarietas in diuersis textibus reperiatur, ante omnia de conciliatione laborandum, nisi unum capitulum sit extraordinarium. Vid. *supr. qu. 22.* HORN. *c. 1. §. 51.*

34. *Num omnes feudali iure obligantur?*

Affirm. tam *laici*, quam *clerici*, quatenus feuda possident. Hic enim magis natura rei, quam qualitas personae, inspicienda. Hinc et iure canonico clerici coram domino feudi conueniuntur. *c. ex transmisso 6. et seq. X. de foro compet.* LVDW. *Synops. feud. p. 15.* STRVV. *th. 7. n. 9.* Immo ex quibus caussis laici, ex iisdem etiam clerici, feudo priuantur. SCHRADER. *de feud. Part. I. qu. 1. n. 4.*

35. *Quo ordine ius feudale a compilatoribus exhibitum?*

Plane nullo, sed potius tumultuario, ita, ut frustraneum sit circa connexionem titulorum laborare. LVDW. *c. 1. p. 2.* Quamuis connexionem exactam promiserit TABOR. *in Comment. ad text. iur. feudal.* cuius initium saltem editum.

36. *In quot libros diuiditur?*

CVIACIVS in *quinque* libros diuidit, quorum I. est GERARDI NIGRI; II. et III. (qui incipit *2. F. 23.*) OBERTI DE ORTO; IIII. (qui incipit *2. F. 25.*) ex uariis et incertis auctoribus; V. uero ex imperatorum constitutionibus feudali-

bus collectus. In uulgata uero Corporis iuris editione III. et IIII. liber cum II. confusus. Regulariter autem duo feudorum libri tantum allegari solent: LVDW. *Synops. p.3.* nec plures habet ACCVRSIVS in glossato Corpore iuris.

37. *Num uero certa methodo proponi potest?*

Affirm. quod et praestiterunt multi. Alii per caussarum genera ius feudale proponunt, quomodo eleganter exhibuit HATTYSER. in *Analysi iuris feudalis.* Alii in modos constituendi, conseruandi, et amittendi feuda hoc ius distribuunt. Sed tentabimus, ut, quantum materiae feudalis ratio admittit, pari methodo, qua iuris ciuilis elementa proposuit Iustinianus, et ius feudale proponamus, ita scilicet, ut, explicata feudi natura ac diuisione, primo personarum ratio habeatur, quae feudum uel dare, uel adquirere possint; postea res considerentur in feudum dari solitae, et quomodo feudale dominium adquiratur, ac iterum dissoluatur; demum actiones ex feudo oriundae, et modus easdem in iudicio feudali proponendi ostendatur.

CAPVT

CAPVT II.
DE
NATVRA AC DEFINITIONE FEVDI.

GENERALIA CAPITIS.

1. Cum feudi indoles, ut ſupra dictum, conſiſtat in *conceſſione utilitatis* ſub *lege fidelitatis*: inde ſequitur, nullum feudum ſine fide eſſe poſſe; fidem uero, cum correlationem habeat ad alterum, cui praeſtanda, debere eſſe reciprocam.

2. Cum uero illa promiſſio fidelitatis, et ſic conſtitutio feudi *ex conuentione* utriuſque dependeat, haec conuentio uero in *facto* conſiſtat: inde potius praeſumendum eſt *allodium*, quam *feudum*, donec conuentio oſtendatur.

3. Quoties ergo dominium utile ſine fidelitatis promiſſione transfertur, et alia quaedam praeſtatio in recognitionem dominii reſeruatur: tunc non adeſt feudum, ſed praedium erit uel *emphyteuticum*, uel *cenſiticum*.

4. Dominium autem utile in eo ab uſufructu diſtinguitur, quod dominus *utilis* de re illa, quantum ad utilitatem, perfecte diſponere poſſit, modo nihil committat in praeiudicium proprietatis: ſeu, dominus utilis utitur re, *ſicuti poteſt*; uſufructuarius utitur illa, *ſicuti eſt*; nihil enim hic immutare poteſt, etiamſi praedio utile ſit.

I. *Vnde deriuatur feudum?*

Variant hic doctores. (1) Aliqui a Germanico Füden deriuant, quod eſt *paſcere*, ſeu *alere*; (unde et *fodrum* ſignificat Futter, *5. F. 1. in fin.*) ut ſcil. Vaſallus ſe et familiam ex

 feudo

feudo alat. cet. BORCHOLT. *de feud. c. 1. n. 5.* STRVV. *c. 2. ∬. 1. n. 6.* (2) Alii a *foedere*, quod inire dominus cum Vasallo in concessione feudi solebat. BORCHOLT. *d. l. n. 2.* (3) Alii uocabulo Langobardico *feida*, quod hostilitatem et bellum significat, cui respondet Germanorum Fehde, Fehdebriefe; nam ob belli necessitates feuda potissimum concessa. BORCHOLT. *d. cap. 1. n. 3.* STRVV. *d. loc. n. 5.* (4) Alii, ut BODINVS *de republ. Lib. I. c. 9.* feudum a literis initialibus iuramenti fidelitatis, de quo textus 2. *F.* 7. deriuant, *Fidelis Ero Domino Vero Meo.* Conf. LVDWELL. *p. 21.* ANT. *Disp. 1. th. 2. litt. B.* (5) Nouam deriuationem suppeditat ITTERVS *de feud. imp. c. 2. ∬. 9.* quod descendat a prisca Germanorum uoce *fe*, quae uox non tantum pecus, sed alia quoque bona denotabat, uoce *Ode*, quod possessionem seu proprietatem denotat; quorsum referri potest, quod ueteres interpretes numquam feudum, sed *feodum*, scripserint.

2. *Quid uero desiderari potest in his deriuationibus?*

(1) Tantum a caussa remota et secundaria, non a principali desumta. (2) Non est uniuersalis, cum et sine foedere feuda dentur, ut *franca.* (3) Tolerari potest, si originem feudorum inspicias: VVLT. *Lib. 1. cap. 2. n. 2.* uerum cum non tantum ad bella, sed ad alia quoque seruitia, uasallus sit obligatus, nimis angusta haec deriuatio est. FINCKELTH. *Disp. I. Controuers. 1.* (4) Mere

Mere cerebrina est. De (5) idem dicendum, quod de prima.

3. *Quaenam itaque uera feudi deriuatio?*

Si a *fide* deriuetur, quod probatur (1) per expressum textum, 2. *F.* 3. *in fin.* ubi a *fidelitate* feudum dicitur, uel a *fide.* (2) Ex conuenientia uocis Langobardicae, ubi fides *fede* dicitur, sicut et hodie Italis sonat. (3) Quia fides omni feudo inest. STRVV. *d. th.* 1. *n.* 3. EYBEN. *Elect. feudal. cap.* 1. §. 10. CARPZOV. *Disp. feud. I. th.* 24.

4. *Vnde uero Germanorum* Lehen *deriuatur?*

Alii a Gothis deducunt, qui uasallos *leodes* uel *leudes* appellarunt: alia a Germanico Leuthe, quod homines significat, deriuant, quod uasallus per feudum homo domini fiat. VVLT. *c.* 2. *n.* 4. Vnde alibi Vasalli dicuntur Mannen. Sed uerius, pure Germanicum hoc uocabulum esse, a uerbo Leihen, quod Saxones Lehnen efferunt, quod est utendum fruendum aliquid alteri concedere. LVDWELL. *Synops. cap.* 2. *p.* 23. ANTON. *Disp. I. th.* 2. *litt. a.* STRVV. *c.* 2. *th.* 1. *in fin.*

5. *Quid opponitur feudo?*

Allodium seu *allode*, 2. *F.* 26. §. *inter filiam. t.* per quod indigitamus rem, quae in plena nostra proprietate seu dominio est, adeo, ut eam a nullo recognoscamus. Sic et Germanice sibi

opponuntur Lehen und Erbe, item Lehen-Erben, und Land-Erben. Et eius modi allodium quoque est *feudum solare*, German. ein Sonnen-Lehn, quod a nemine, quam a Deo, siue sole, quem gentes pro Deo coluerunt, recognoscatur: RHETIVS *Comment. feud. Lib. I. tit. 1. n. 23. pag. 44.* FRITSCH. *Differt. de Feud. solar.* et talia olim fuisse feuda Marchica, asserit BRVCKMANN. *Vol. I. Consil. 4. n. 12.*

6. *Vnde deriuatur allodium?*

Communiter ex Germanico deducitur, et quidem ex particula All, *omne*, et Dede, quod priscis *patrimonium* seu *possessionem* significauit. Vnde adhuc hodie *kleinodia* bona hereditaria pretiosiora dicuntur: ANTON. *Disp. I. th. 1. litt. a.* ubi et alias deriuationes habet. STRVV. *cap. 2. th. fin. n. 2.*

7. *Praesumiturne res aliqua potius feudalis, quam allodialis?*

Affirm. posterius; quia omnis res pristinam suam naturam habere praesumitur, et feudi constitutio est facti. RITTERSHVS. *Lib. I. c. 2. qu. 20.* STRVV. *cap. 16. thes. 11.* ANTON. *Disp. XV. th. 7.* Hinc interim, donec res probata sit feudalis, filiae aliique heredes allodiales in possessione manent, *2. F. 26. §. 1. Decis. Sax. nouiss. 37.* nec uasallus titulum possessionis edere tenetur, donec dominus probauerit, rem esse feudalem. CARPZOV. *Part. I. const. 27. def. 9.*

8. *Sed*

8. *Sed quid, si coniecturae sint in contrarium?*

Illae euidentes esse debent, si res exinde praesumenda sit feudalis: ut hinc solam inuestiturae renouationem non sufficere statuat CARPZOV. *Part. I. const.* 27. *def.* 7. haec enim etiam in bonis emphyteuticis necessaria. Nec aliud dicendum de principatibus imperii, quasi illi essent magis allodiales, quam feudales, liberior enim dispositio de feudo non tollit nexum feudalem. ITTERVS *de feud. imp. cap.* 2. §. 8.

9. *Quot modis uox* feudi *capitur?*

Diuersimode: (1) pro ipsa re in feudum concessa, quae uulgaris acceptio est. Sic *1. F. 4.* dicitur *inuestitura feudi.* (2) Pro contractu feudali, per quem uasallo ius in feudo adquiritur. Sic dicitur 2. *F.* 20. si quis per feudum inuestituram acceperit. (3) Pro ipso iure in re feudali, per contractum et subsequentem inuestituram constituto. 2. *F.* 25. §. 1. ANTON. *Disp. I. th.* 2. *litt. c.* STRVV. *cap.* 2. *th.* 2. LVDWELL. *p.* 26. *in fin.*

10. *Quodnam feudi synonymon est?*

Saepius in iure feudali *beneficium* dicitur: *1. F. 1.* §. 2. *et 4. 1. F. 14. pr.* quae appellatio olim frequentior fuit, quam ipsius feudi. ANTON. *Disp. I. th.* 2. *litt. a.* RITTERSHVS. *Partit. feud. Lib. I. cap. 1. qu.* 12. Vnde uasallus uocatur *beneficiarius*

us inbeneficiatus. EYBEN. *Elect. feud. c. 1. §. 12.* Interdum etiam *gratia* appellatur. ANTON. *d. l.*

II. *Quid est* feudum?

Feudum est ius, in re aliena immobili plenissime utenda fruenda, alicui ex beneuolentia domini, sub conditione mutuae fidelitatis, constitutum. Vel breuius: *feudum* est concessio dominii utilis, sub lege fidelitatis.

12. *Quid per* ius *intelligis?*

Facultatem aliquam ex contractu feudali subsecuta traditione quaesitam, seu potestatem per consuetudines feudales concessam et comprobatam.

13. *Sed nonne per usumfructum describi potest?*

Proprie non, si usufructus uocabulum in sensu iuris ciuilis capimus, cum multum uasallus ab usufructuario differat. Improprie tamen potest, in respectu commoditatis, ad quam improprietatem denotandam Doctores ita describunt, quod feudum sit usufructus quidam. VVLT. *Lib. I. c. 2. n. 9.* LVDWELL. *p. 27. 10.* WVRMSER. *Tract. de feud. impropr. class. I. sect. 2. n. 5.*

14. *Quomodo autem uasallus ab usufructuario differt?*

(1) Vsufructuarii ius cum persona exspirat; non uasalli. *2. F. 23. in fin.* (2) Ille non potest aedi-

edificando rem immutare, *L. 44. et 61. D. de usufr.* uasallus poteſt. *2. F. 28.* (3) Ille non poteſt rem uindicare: bene tamen uaſallus ob utile dominium. *2. F. 8.* STRVV. *c. 2. th. 3. n. 3.*

15. *Quodnam eſt obiectum feudi?*

Res aliena immobilis.

16. *Ergo in re propria feudum conſtitui nequit?*

Neg. Quod enim noſtrum pleno iure eſt, illud noſtrum alio reſpectu fieri nequit: niſi prius aliquis rem ſuam in dominum transferat, (quod fit titulo donationis ſub modo factae,) et ab hoc rem ut feudum recognoſcat, das Erbe zu Lehen machen, STRVV. *cap. 7. th. 10. n. 1.* quod eapropter feudum *recognitum* dicitur, uel *oblatum*, ein aufgetragen Lehen, qualia ſunt fere omnia Pomeraniae, Marchiae, Sileſiae, et Mecklenburgica feuda. Add. *qu. 17. cap. 4.*

17. *An uero res immobilis in definitione ſtricte capitur?*

Neg. ſed in ſenſu latiori, quatenus res immobilis uel naturaliter talis, ut praedium; uel ciuiliter talis, quae ex ciuili ratione pro immobili habetur *2. F. 1. §. ſciendum* BITSCH. *Comm. ad h. text.* Huc ſpectat iuriſdictio, quae coniuncta cum praedio, immobilibus accenſetur, et ſic in feudum ſimul dari poteſt. STRVV. *cap. 2. th. 3. n. 5.* LVDWELL. *Synopſ. cap. 2. p. 28.*

18. *Qua-*

18. *Quare dicitur in definitione*: pleniſſime utenda fruenda?

Quia ad uaſallum omnis utilitas non tantum ex re, ſed et occaſione rei, percepta pertinet, e. gr. *theſaurus*, quod ſecus eſt in uſufructuario. STRVV. *c. 12. th. 5.* Conf. *qu. 9.*

19. *Quare additum*: ex beneuolentia domini?

Quia ex gratia domini proficiſcitur; unde et feudum ſaepius *beneficium* dicitur, ut et *beneuola actio. 2. F. 23. in fin.*

20. *Ergone feudum emtitium non eſt feudum?*

Vtique; nam et interuentu pecuniae feudum adquiri poſſe certum eſt, *1. F. 16. et 20.* et uendendo etiam beneuolentiam ſuam exhibet dominus, quod me potius, quam alium, habere uaſallum uelit: pecunia uero non tam eliciendi, quam remunerandi beneficii cauſſa data uidetur. HATTYSER. *Anal. iur. feud. cap. 3. litt. F. Vid. infr. qu. 14. cap. 4.*

21. *Quaenam eſt forma feudi?*

Mutua fidelitas, quam principaliter uaſallus domino, per conſequentiam uero dominus iterum uaſallo, exhibere tenetur: *2. F. 6. in fin.* ANTON. *Diſp. VIII. th. 2. litt. E.* quorſum ſpectat illud, getreuer Herr, getreuer Knecht. Praeſtat uero uaſallus fidem obſequii, dominus fidem defenſionis.

22. *An*

22. *An itaque fidelitas a feudo abeſſe poteſt?*

Neg. quia formam abſoluit. Nec obſtat *2. F. 3. in fin.* Nam diſtinguendum inter remiſſionem fidei, et remiſſionem iuramenti fidelitatis. Hoc remitti poteſt, non illa; cum et abſque iuramento fidelitas praeſtari poſſit. HATTYSER. *cap. 2. litt. a.*

23. *Sed quid uero, ſi tale pactum adiiciatur,* ne fides praeſtetur?

Diſtinguend. inter fidem illam communem, quam homo homini naturaliter debet; et inter fidem ſpecialem ex contractu feudali oriundam. Illud pactum, utpote quod contra bonos mores eſſet, non ualeret; inuitat enim ad delinquendum: *arg. L. 27. §. 4. D. de pact.* ſed hoc ualebit, cum in ſe iniuſtum non ſit, ſuae rei utile dominium ſine obligatione ad fidem ſpecialem concedere. Verum ita non tam feudum eſſet, quam alius contractus STRVV. *cap. 2. th. 6. n. 7.* et quidem uel donatio, uel, ſi pecunia interuenerit, uenditio dominii utilis.

24. *Cur ſeruitiorum in definitione nulla facta mentio?*

Quia ſeruitia non ad ſubſtantialia, ſed ad naturalia, feudi ſpectant, ANDR. KOHL. *de ſeruit. feud. Part. IIII. n. 90.* STRVV. *c. 2. th. 7.* ideoque cum naturalia ex uoluntate contrahentium mutationi ſint obnoxia, pactis feuda ſine ſeruitiis con-

constitui possunt, uti exemplum est in feudis francis. STRVV. *cap. 2. th. 8.* Si tamen domini personam in periculo constitutam uideant, succurrere ipsi tenentur, alioqui enim perfidi forent.

25. *Quomodo differt feudum ab emphyteusi?*

(1) *Ratione finis:* uasallus fidem praestat; emphyteuta tantum annuum canonem. (2) *Ratione transmissionis:* uasallus feudum ad descendentes uel agnatos masculos a primo adquirente descendentes tantum transmittit; emphyteuta uero ad heredes quoscumque, etiam extraneos: si scilicet simpliciter concessa, non si pro se, et liberis. BACHOV. *ad* TREVTL. *Vol. I. Disp. 29. th. 10. litt. a.* (3) *Ratione facultatis alienandi:* uasallus absque domini uoluntate feudum alienare nequit, *2. F. 55.* bene tamen emphyteuta, si dominus ipse pretium soluere nolit. *L. 3. C. de iur. emphyteut.* LVDWELL. *p. 31.* STRVV. *cap. 2. th. 10. n. 1.*

26. *Quaenam uero sunt bona censitica?*

Quando plenum dominium rei sub hac conditione alteri conceditur, ut quotannis certum censum praestet, German. Zins-Güther. STRVV. *d. l. n. 3.* Qui census in translatione rei a priori domino reseruetur, census *reseruatiuus* uel *fundarius* dicitur: si uero in re, quae iam alterius est, mihi constituatur, dicitur *constitutus.* Vid. ZOES.

ES. *ad Pand. tit. de usur. n. 19.* HORN. *cap. 2. 14.*

27. *Quomodo differunt ab emphyteusi?*

In bonis censiticis dominium plenum transit censuarium ; in emphyteusi saltem utile. RPZOV. *Part. II. const. 39. def. 1.* In illis *census* uitur de re propria, ob pactum traditioni rei ectum: in his soluitur *canon* de re aliena, ut erum recognoscat dominium. Vnde, canone ra triennium non soluto, amittitur emphyteu-: secus uero in censu non soluto; CARPZOV. *onst. 39. def. 2.* ad expensas tamen et interesse ebitur censuarius. CARPZOV. *def. 3.* LVDWELL. *1. feud. pag. 35. d. l.*

28. *Qualis uero in dubio praesumitur contractus?*

Quoties in translatione rei suae dominus sibi eruat dominium directum, contractus praesu-ur emphyteuticus, non censiticus: CARPZOV. *def. 6.* alioqui si de illa reseruatione non con-, in dubio potius contractus censiticus, quam phyteuticus praesumitur; CARPZOV. *d. l. def.* eseruatio enim partis dominii in facto consi-, et hinc non praesumitur.

29. *Quomodo a bonis libellariis feudum differt?*

Contractus libellarius (cuius in iure Iustinia- mentio fit in *L. 24. §. 1. C. de SS. Eccles. et*

Nou. VII. pr.) est conuentio, qua res in alium transfertur uenditionis iure, interueniente scriptura, sub certo regulariter leui pretio, certaque pensione annua, addita lege, ut contractus hic determinato tempore, numerato rursus pretio, uel certo, uel arbitrario, renouetur. Vnde facile apparet, quantum a feudo distet. LVDWELL. *pag.* 33. RHETIVS. *Comm. iur. feud p.* 247. Quamquam iure feudali cum emphyteusi (cuius expressa mentio illo iure non fit) libellarius contractus fere conueniat, uti apparet ex descriptione 2. *F.* 9. *ʃ.* 1. *uerʃ. quis enim.* STRVV. *c.* 2. *th.* 10. *num.* 4. in effectu tamen differunt, quia in libellario transfertur plenum dominium cum reseruatione annuae pensionis: in emphyteusi uero tantum utile, Germanis dicuntur Meyer-Güther, siue bona *colonaria.* FRANZK. *de laudem. cap.* 10. *seq.* TABOR. *de iur. colonar.* von der Land-Siedeley. BESOLD. *Thesaur. pract.* sub uoce: Land-Siedel.

30. *Quaenam uero sunt bona solidorum?*

Sunt certa species bonorum moribus inducta, et praecipue in ducatu Brunsuicensi frequentata, ubi rusticus uno solido exsoluto praedium accipit, quo solido ei restituto praedium dimittere debet, quod tamen non facile admittitur sine iusta caussa: Germ. Schilling-Güther, siue Schillinghaur. SCHEPLIZ. *ad* CLAMMER. *Promptuar. tit* 2. A quibus differunt die Laß-Güther, quae rusticis pro certa mercede annuatim conceduntur,

ır,quae a bonis conductis non differunt. STRVV. ıp. 2. tb. 10. n. 6. CARPZOV. *Part. II. conſt. 40. ːf. 1.*

31. *Quid eſt* precaria?

Eſt conceſſio praedii eccleſiaſtici (uulgo, eine)rekarey, quod ad preces alterius concedatur) in ſumfructum, facta pro datione aequiualentis raedii poſt mortem in eccleſiam *Nouell. VII. pr. ' cap. 4.* RITTERSHVS. *ad Nouell. Part. I. cap. n. 50.* Poteſt tamen pariter etiam in aliis prae· is non eccleſiaſticis conſtitui; addi etiam ſolet ıctum, ut certo tempore, u. gr. de quinquennio ı quinquennium renouetur. *c. 1. et ult. X. de 'ecar.* FRANTZK. *de laudem. cap. 12. n. 4.* LVD· ELL. *num. 36.* Quae conceſſio, cum ad dies tae regulariter ſaltem duret, cum ea conuenire cunt die Schüpf-Lehen in Sueuia, quae morte ›ſſeſſoris exſpirant. BESOLD. *Theſ. pract. uoc.* ›chüpf-Lehen.

32. *Quid eſt contractus ſuperficiarius?*

Eſt contractus nominatus, quo titulo ad do· ıinium transferendum habili, ius ſuperficiei pro bitu utendi fruendi, in perpetuum conceditur, xta SCHRAD. *Part. II. cap. 2. n. 58.* Sed uix ımmode ſeparatus contractus dicitur; potius *perficiei ius* dicendum eſt ius in re per contra- um, aliumque titulum ad dominium tranſfe- ndum habilem conſtitutum. HORN. *cap. 2. §. 20.*

33. *Quomodo uasallus a bonae fidei possessore differt?*

Ille dominum nouit; hic non: unde hic rem usucapere potest, non ille, ob malam fidem. LVDWELL. *pag.* 32.

34. *Ergone malae fidei possessor uasallus?*

Affirm. si hic domini directi ius interuertere uelit: quoad ipsum uero dominium utile est bonae fidei possessor, quia neminem alium utilem dominum nouit.



CAPVT III.

DE

DIVISIONE FEVDI, IN SPECIE DE FEVDIS PROPRIIS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Feudorum diuisio non tam iuris, quam facti seu pacti est; cum enim ex conuentione dependeat feudum, nullum dubium est, noua feudorum genera nouis pactis induci posse.

2. Cum uero ex ipsa natura feudorum dependeant eius distinctiones, seu diuersae species: inde omne illud feudum, quod ordinariam naturam retinet, *proprium* dicitur; quod uero inde deflectit, *improprium est.*

3. Cum

Cum autem omnis res *talis esse praesumatur*, qualis secundum suam naturam *esse solet*: inde de quouis feudo praesumendum, quod sit *proprium*, donec uoluntate domini et uasalli aliud circa hoc feudum dispositum appareat.

Diuisiones *feudi proprii* uel desumuntur a *modo adquirendi*; ubi illud uetus est, quod per successionem; nouum uero, quod alio titulo quaesitum: uel ex *indole rei* in feudum concessae, ubi, si haec ecclesiastica sit, etiam feudum tale dicitur; uel *a qualitate* adiuncta, quod nobilitatem aut regalia annexa habet.

1. *Quotuplex est feudum.*

Duplex, *proprium*, seu *rectum*; *improprium*, seu *non-rectum* uel *obliquum*. *2. F. 33. 2. F. 48.* Interdum tamen feudum rectum a oprio differt, quatenus illud opponitur feudo ın legitime quaesito. LVDWELL. *Tract. feud. g. 4.*

2. *Sed annon haec generalissima diuisio est?*

Affirm. quia omnes feudorum species huc re·'ri possunt. LVDW. *Syn. p. 39.* Nec obstat, od feudum improprium non sit feudum, quum nen iure feudi censeatur. *2. F. 48.* FINCKELTH. *sp. II. contr.* 2. Hinc et statuta de feudis loentia etiam ad impropria spectant; ANTON. *sp. I. th. 7. litt. c. in fin.* nisi diuersitatis ratio ceri possit.

3. *Quid est feudum* proprium?

In quo nullibi a communibus iuris feudalis ;ulis receditur, sed naturalia sua ubique sal·

ua, nec ulla pactione reſtricta retinet. *1. F. 7. 2. F. 2.*

4. *Ergone omnia pacta naturam feudi alterant?*

Affirm. ſi ſint pacta detrahentia communi feudorum indoli; non, ſi ſint pacta augentia: quando enim ſaluis feudi naturalibus quid adiicitur, quod regulariter feudo non cohaeret, hoc improprium feudum non efficit. LVDWELL. *Tract. de diuiſ. feud. cap. 4. p. 84.*

5. *Quaenam uero ſunt illa feudi naturalia?*

Sunt uaria, ut (1) iuramenti praeſtatio: *2. F. 3. in fin.* (2) maſculorum ſucceſſio: *1. F. 8. §. 2.* (3) ad ſeruitia, et quidem incerta, obligatio: *2. F. 23.* (4) alienationis denegatio: *2. F. 55.* (5) inueſtiturae poſt mortem domini renouatio: *2. F. 25.* (6) feudi praeuia culpa ablatio: *1. F. 21.* (7) quod ſaltem in immobilibus conſiſtat, *ſupr. cap. 2. qu. 17.* et ſimilia. LVDW. *Synopſ. cap. 3.* VVLT. *Lib. I. c. 8. n. 37.* Conf. WVRMSER. *de feud. impropr. Claſſ. III. ſect. 1. n. 16.* qui naturalia illa, ut ipſe uocat, *externa*, ordine exponit.

6. *Quale uero feudum in dubio praeſumitur?*

Proprium ſeu rectum; qualitas enim a lege requiſita rei ineſſe praeſumitur, pacta uero contraria facti ſunt, et ſic probanda. Vnde, qui praetendit, feudum eſſe femininum, hoc probare debet.

bet. STRVV. *cap.* 16. *th.* 13. *n.* 3. ANTON. *Disp.* XV. *th.* 7.

7. *Quotuplex est feudum* proprium?

Variat, uel (1) ratione adquisitionis: uid. *qu. sequ.* uel (2) ratione obiecti, seu rei in feudum datae. *uid. qu.* 23. uel (3) ratione effectus, seu adiunctae qualitatis; *uid. qu.* 38. uel (4) ratione formae; *uid. qu.* 39. uel (5) ratione situs. *Vid. qu.* 45.

8. *Quotuplex est feudum ratione adquisitionis?*

Duplex, *uetus uel nouum;* quibus addunt alii *masculinum*, quod masculus; uel *femininum*, quod femina primum adquisiuit: sed hoc ad feuda impropria spectat, STRVV. *cap.* 4. *th.* 17. cum contra communem feudi naturam feminae admittantur. VVLT. *Lib. I. c.* 8. *n.* 38. *et* 43.

9. *Quid est feudum uetus?*

Quod iure successionis ad aliquem deuolutum. STRVV. *cap.* 3. *th.* 2.

10. *Quotuplex est feudum* uetus?

Doctores hoc subdistinguunt in *antiquum* et *paternum.* Illud uocant, quod ab aliquo adscendentium ultra quartum gradum adquisitum, ein Stamm-Lehen, oder alt-väterlich Lehen: hoc uero, quod ab aliquo adscendentium infra quartum gradum originem trahit, ein väterlich Lehen. BORCHOLT. *c.* 4. *n.* 2.

11. *Sed nunne probanda haec distinctio?*

Ita uidetur ob textum *1. F. 8. §. hoc quoque.* Sed contrarium uerius; cum paternum, et certo respectu maternum, et antiquum feudum in iure feudali pro synonymis capiantur; *2. F. 50.* et in effectu etiam nihil differant. STRVV. *cap. 3. th. 2. n. 1.* RHETIVS *Comm. iur. feud. p. 338. n. 1.* LVDW. *c. 3. num. 47.* Ad textum *1. F. 8.* respondetur, quod ille ad ius antiquum referendus, ubi successio in feudis quartum gradum non excessit; quod tamen postea mutatum. *1. F. 1. §. 4.* VVLT. *Lib. 1. cap. 8. num. 5.* ANTON. *Disp. I. th. 5. litt. c.*

12. *Quid est feudum* nouum?

Quod quis ipse primum adquisiuit; uel cuius caussam adquirens non habet ab alio, sed a se ipso, et a domino concedente. VVLT. *d. c. 8. n. 4.* LVDW. *pag. 49.*

13. *Quale itaque feudum, si filius, abstinendo hereditate paterna, consensu agnatorum de nouo inuestiatur?*

Nouum fit, licet antea antiquum fuerit; *2. F. 45. in fin.* cum non ex iure patris, sed nouo titulo feudum adquirat; ut ita postmodum agnati non admittantur, nisi iura sua sibi reseruauerint. STRVV. *cap. 3. th. 2. num. 5.*

14. *Quid ſi feudum antiquum conſenſu agnatorum uendatur?*

Itidem nouum fit, ſi in extraneum, ſeu in inueſtitura prima non contentum, tranſferatur. *Arg. 1. F. 5. ſ. praeterea.* Secus, ſi in hunc; ubi antiquum feudum manet: ANTON. *Diſp. I. th. 5. litt. b.* quia huic iam per primam inueſtituram proſpectum erat.

15. *Quale uero feudum, quod ex pretio ueteris emptum?*

Nouum, quia de nouo adquiritur, STRVV. *cap. 3. th. 2. n. 6.* et pretium non ſuccedit loco rei in ſingularibus: LVDW. *p. 54.* quod limitant; niſi prius feudum conſenſu agnatorum eo fine uenditum, ut feudum ex tali pretio de nouo emtum, antiqui naturam recipiat. Sed totum hoc in arbitrio domini de nouo feudo inueſtientis conſiſtit; agnatorum enim conſenſus, licet prioris feudi uenditionem confirmet, nouo tamen nullam qualitatem feudalem ſuperaddere poteſt. SCHRADER. *de feud. Part. II. cap. 3.*

16. *Poteſtne ergo dominus feudum nouum concedere iure feudi antiqui?*

Affirm. nach Art und Eigenſchaft eines alten Stamm-Lehens, ita, ut, quamuis in ſe nouum it, in effectu tamen pro ueteri reputetur. LVDW. *ap. 3. p. 51.* Ratio, quia hic ſolum domini praeidicium uerſatur, cui renunciare eidem liberum

eſt, *arg. L. 21. C. mandat.* STRVV. *cap. 3. th. 3. n. 1.* et inſuper inueſtiturae tenor derogat naturae feudali. *2. F. 18. et 48.* VVLT. *c. 8. n. 6.* ANTON. *Diſp. I. th. 5. litt E.* Reuera itaque nouum manet, ſed fictione et effectu iuris propter adiectam conuentionem habetur pro ueteri. FINCKELTH. *Diſp. feud. II. th. 15. in fin.*

17. *Quomodo uero agnatis hic ius quaeri poterit, cum alteri paciſci non liceat?*

Haec deciſio iuris ciuilis in iure feudali locum non inuenit. *c. ſi duo. 2. F. 12.* BOCER. *de ſucceſſ. feud. cap. 2. qu. 3. in fin.* LVDWELL. *Tr. p. 52.* MEV. *Part. IIII. deciſ. 112. n. 5.*

18. *Ergone penitus nihil intereſt inter feudum* natura uetus, *et* pacto uetus?

Ratione domini nihil intereſt, ſed ratione agnatorum: feudum enim natura uetus ſine conſenſu agnatorum alienari nequit; bene uero ſi ſit pacto uetus, quia hoc ex conuentione uaſalli cum domino dependet; unde contrario pacto poteſt mutari, STRVV. *d. th. 3. n. 2.* ROSENTHAL. *cap. 2. concl. 15.* niſi et cum ipſis agnatis mutuae pactiones intercefferint.

19. *Sed an feudum antiquum iure feudi noui concedi poteſt?*

Non, niſi accedente agnatorum conſenſu. GAIL. *Obſeru. Lib. II. cap. 49.* His enim ius in inueſtitura quaeſitum, inuitis non eſt auferendum,

dum, 1. *F. 14.* LVDW. *d. c. 3. pag. 52.* STRVV. *d. th. 3. n. 3.* nec poteſt dominus in renouatione formam priorem immutare in praeiudicium alterius.

20. *Quale eſt feudum, quo quis ob culpam priuandus erat, ſi culpa remittatur?*

Si culpa ante feudum ablatum ſimpliciter remiſſa, manet uetus: ſi uero feudum auferatur, et uaſallo reſtituatur, fit feudum nouum. STRVV. *th. 2. n. 4.* LVDW. *p. 55.* ANTON. *d. th. 5. litt. A.* Sed cum feudum ob culpam amiſſum non perpetuo apud dominum maneat, ſed tamdiu tantum, quamdiu uaſalli delinquentis deſcendentes adſunt: STRVV. *cap. 15. th. 14.* uid. *infr. cap. 23. qu. 49.* non poteſt reſtitutio, uaſallo delinquenti facta, in praeiudicium agnatorum, feudum nouum efficere. Eſt ergo nouum, quoad uaſallum reſtitutum, non quoad agnatos.

21. *An autem in dubio feudum nouum uel antiquum praeſumendum?*

Diſtinguendo, an dominus poſſidet, an uaſallus. Domino poſſidente, uaſallus probabit eſſe feudum uetus. 2. *F. 33. §. fin.* Vaſallo poſſidente, dominus probabit eſſe feudum nouum. 2. *F. 1. §. fin.* Ratio, quia actor fundamentum ſuae ntentionis probare debet, et in dubio melior oſſidentis conditio praeſumitur. *L. 5. ʃ. 1. D. de alumniat.* ANT. *d. th. 5. litt. E.* VVLT. *cap. 8. um. 8.*

22. *Sed*

22. *Sed quid, si neuter possideat?*

Sic feudum uetus potius praesumitur, quam nouum. 2. *F. 11. §. fin.* 2. *F. 26. pr.* Ratio, quia feudum esse, facti est, dependentis a concessione domini; ea uero, quae facti sunt, praesertim recentioris, probanda ueniunt: LVDWELL. *p. 53.* STRVV. *cap. 16. th. 12.* immo commodius dici posset, neutrum praesumi, sed utrique actori contra tertium possessorem concurrenti suae intentionis probationem iniungendam esse. Quodsi constaret, quis de feudo primum inuestitus, tunc respectu omnium, qui ab illo non descendunt, praesumeretur, esse nouum. SCHRADER. *Part. II. cap. 3. n. 41.*

23. *Quotuplex est feudum ratione obiecti?*

Duplex; *ecclesiasticum*, uel *saeculare.*

24. *Quid est feudum* ecclesiasticum*?*

Quod in re ecclesiae constituitur, VVLT. *cap. 8. n. 19.* quorsum referri potest das Pfarr-Lehen, quando quis in suo pago cum iure patronatus est inuestitus.

25. *Quid est feudum* saeculare?

Quod in re saeculari constituitur. VVLT. *d. l.* LVDWELL. *p. 55.* STRVV. *cap. 3. th. 4. n. 1.*

26. *Sed annon qualitas personae conferentis uel accipientis feudum hic attendenda?*

Neg. nam laicus feudum ecclesiasticum constituere

ſtituere poteſt, ſi liberam bonorum eccleſiae habeat adminiſtrationem; LVDW. *d. l.* et clericus feudum ſaeculare, ſi hoc de proprio patrimonio conſtituat: *c. clerico. 2. F. 35.* ſicut et, ſi eccleſia rem ſaecularem in feudum acceperit, ſaeculare feudum efficitur, VVLT. *d. l.* ANTON. *Diſp. I. th. 4. litt. d.* licet contrarium uelit SCHRADER. *de feud. Part. II. cap. 3. n. 17.* WVRMSER. *de feud. impropr. Claſſ. II. ſect. 4. n. 9. ſeqq.*

27. *Quomodo Germanis feudum eccleſiaſticum appellatur?*

Ein krumſtäbiſch Lehen, ſcil. ab incuruato epiſcoporum baculo; STRVV. *cap. 3. th. 4. num. 2.* quo ipſo reſtrictam epiſcoporum poteſtatem deſignari putant doctores. FINCKELTH. *Diſp. II. contr. 5.* WEHNER. *Obſeruat. pract. uoc.* Krumbſtab. KNICHEN *de ueſtitur. pact. Part. I. cap. 4. n. 84.* Cur uero epiſcopi ſaltem utantur incuruato baculo, non autem ipſe pontifex, de eo uid. STRAVCH. *Amoenitat. iur. canon. ſemeſtr. alter. eclog. 7. c. 8. n. 19.*

28. *Quotuplex eſt feudum ratione effectus, ſeu adiunctae qualitatis?*

Duplex: *nobile*, et *ignobile*, prout in uaſallum nobilitas mediante feudo ſimul tranſfertur, uel non.

29. *Quid eſt feudum* nobile?

Feudum, quod ab eo, qui poteſtatem habet

cum

cum noluntate nobilitandi, concessum. LVDW. *Syn. pag.* 43.

30. *Quotuplex hoc est?*

Aliud *regale*, aliud *non regale.*

31. *Quid est feudum* regale?

Est feudum nobile, supremi principis auctoritate concessum, cum dignitate regali, seu iure exercendi regalia. VVLT. *cap. 8. n. 10. Abusiue* uero feudum regale dicitur, quod a rege concessum. 2. *F.* 34. LVDWELL. *Tract. feud. pag.* 41.

32. *Quotuplex autem regale?*

Iterum uel *ecclesiasticum*, uel *saeculare;* ubi illud cum maxima dignitate ecclesiastica coniunctum, ut episcopatus, abbatia; hoc cum dignitate saeculari, ut principatus, ducatus, comitatus; STRVV. *cap. 3. th.* 7. immo et baronatus. ITTER. *de feud. imp. cap. 3. §. 15.*

33. *Quomodo Germanica appellatione haec distinguuntur?*

Saeculare dicitur ein Fahn-Lehen, quod uexillo concedi solitum fuerit; cui opponitur das Scepter-Lehen: nam clerici in feudis maioribus sceptro inuestiri solebant. STRVV. *d. th. 8. num.* 8. VVLTEI. *cap. 8. n. 10.* Quamquam hodie fere omnes gladio soleant inuestiri, ita scilicet, ut uasallus, praestito fidelitatis iuramento, capulum ensis apprehendat, atque extremum eius co-

conum oſculetur. REINKING. *de regim. ſaecul. et eccleſ. Lib. I. claſſ. 5. cap. 9.* WVRMSER. *de feud. impropr. Claſſ. II. ſect. 1. n. 41. et 44.* Vid. ſollemnia inueſtiturae *in appendic. num. 1.*

34. *Quid eſt feudum* non regale?

Eſt feudum nobile, auctoritate ſummi principis, uel illius, cui alias nobilitandi ius competit, conceſſum, cum dignitate, quae regali inferior. VVLT. *d. n. 10.* LVDWELL. *pag. 46.* quod feudum nobile dicitur. *1. F. 10.*

35. *Sed an in dubio nobilitas cum feudo uaſallo conceſſa praeſumitur?*

Affirm. ex tacita uoluntate infeudantis, ROSENTH. *cap. 2. qu. 2. n. 2.* ſi feudum nobile conceſſum ſit ab illo, qui poteſtatem nobilitandi habet; WVRMSER. *Lib. II. Sect. 1. n. 15.* et illic loci non niſi nobilibus feuda conferantur, modo contrarium ex litteris inueſtiturae non appareat. VVLT. *cap. 8. n. 10. in fin.* ANTON. *Diſp. I. th. 6. litt. b. p. 27.* Hodie inſuper diploma nobilitatis exigitur, quod ſi quis intra tres menſes ex cancellaria non redimat, nobilitatem conceſſam amittit. *Capitulat. Leop. art. 45.*

36. *Quid eſt feudum* ignobile?

Quod abſque nobilitate, eiuſque iuribus, conceſſum, ubi concedens uel noluit, uel non potuit ſimul nobilitatem conferre. VVLT. *d. l. pag. 269.* Hodie ex qualitate praediorum hoc aeſtimatur,

matur, an illa sint equestria, Ritter-Husen, an tributis obnoxia, Steuerbare Husen.

37. *Quomodo hoc feudum alias appellatur?*

Vocatur feudum burgense, ein Bürger-oder Bauer-Lehen. SCHNEIDEWIN. *de feud. Part. I. n. 34.* ANT. *Disp. I. th. 6. litt. b.* Non tamen ita a possessore appellatur, sed a qualitate collationis, cum etsi nobilis tale feudum possideat, tamen ignobile, iisdemque oneribus subiectum maneat. STRVV. *cap. 3. th. 8. n. 3.*

38. *Quid iuris uero habet possessor, cui feudum nobile*, ein Ritter-Guth, *sine uoluntate nobilitandi concessum?*

Iura nobilitatis personae cohaerentia non consequitur, u. gr. *dignitatem et praecedentiam:* iura tamen ipsi feudo cohaerentia, u. gr. *ius uenandi, ius patronatus*, omnino cum re ad ipsum transeunt. STRVV. *c. 3. th. 8. n. 2.* WVRMSER. *Class. II. sect. 1. n. 10.*

39. *Quomodo ratione formae diuiditur feudum?*

In *ligium*, et *non ligium.*

40. *Quid est feudum* ligium?

Quando uasallus domino fidelitatem contra omnes sine exceptione promittit: *2. F. 99.* STRVV. *cap. 3. th. 9.* quod ad feuda impropria male refert

fert SCHRADER. *de feud. Part. II. cap. 4. num. 1.* non enim hic communis feudorum natura alteratur, ſed tantum arctius obſtringitur uaſallus. WVRMSER. *de feudis impropr. Claſſ. II. ſect. 7. num. 7.*

41. *Vnde ita dicitur?*

Aliqui inde deducunt, quod reges *ligatis pollicibus* illos fidei ſuae adſtringant. CAMERAR. *Meditat. hiſt. Lib. I. cap. 6.* Alii a *ligando*, quod ſic arctiſſimo fidei nexu alligetur uaſallus. VVLT. *cap. 8. num. 20.* LVDWELL, *pag. 59.* In antiquioribus inueſtituris uocatur ein ledig Mann, quod ſe ledig, ſiue liberum profiteatur ab omni arctioris fidelitatis nexu. ANTON. *Diſp. I. th. 3. litt. B.* EYBEN. *Elect. feudal. cap. 3. §. 8.*

42. *Quale eſt feudum* non ligium?

Quando uaſallus non indiſtincte, ſed hoc uel illo excepto ad fidelitatem domino praeſtandam ſe obligat. LVDWELL. *pag. 62.*

43. *Sed quid deſiderant doctores in hac diſtinctione?*

Hoc, quod omne feudum ſit ligium, dum uaſallus domino fidelitatem contra omnes exhibere tenetur, 2. *F.* 7. etiamſi hoc in litteris inueſtiturae non ſit expreſſum; LVDW. *p. 60.* id uero fieri per accidens, quod interdum certa perſona uel antiquior dominus excipiatur. STRVV. *cap.*

 3. *th.*

3. tb. 9. n. 2. VVLT. *cap. 8. n. 22. in fin.* FINCKELTHVS. *Disp. II. controu. 10.*

44. *Sed quomodo tolerari potest haec distinctio?*

Si feudum *ligium* dicamus, quod a non recognoscente superiorem, subdito, a nullo hactenus feudum recognoscenti, concessum; ibi enim nemo exceptus, et sic feuda imperii regulariter ligia sunt. ITTER. *c. 2. §. 12.* Feudum uero *non ligium*, quod a principe imperii conceditur, quia ibi semper imperator cum imperio exceptus; *2. F. 55. in fin.* uel quod etiam a summo principe conceditur, sed non subdito, u. gr. si rex Galliae feudum concedat subdito regis Hispaniae, uel, subdito quidem, sed ab alio principe iam feudum habenti; ita enim uasallus in fidelitatis promissione uel superiorem suum, uel antiquiorem dominum censetur excepisse; *2. F. 28. in fin.* ANTON. *d. tb. 3. litt. g.* derogat enim prius iuramentum posteriori. *c. 26. et 33. X. de iureiurand.*

45. *Quomodo ratione situs diuiditur feudum?*

In illud, quod est *in curte* domini, et quod est *extra curtem. 1. F. 5. §. fin.*

46. *Quid est feudum* in curte *domini?*

Quod uasallo constitutum in territorio domini; nam *curtis* territorium significat. *Arg. textus 1. F. 18. in fin. pr.* LVDW. *p. 56.*

47.

47. *Quid est feudum* extra curtem?

Quod uasallo concessum in praedio, quod in alieno territorio dominus habet, LVDWELL. *d. l.* WVRMSER. *de feud. impropr. Class. II. sect. 5. n. 4.* Sic Elect. Brand. in Silesia in feudum confert pagum Grosburg.

48. *Quomodo alii doctores hanc distinctionem explicant?*

Feudum *in curte* dicunt, ubi res ipsa manet in curia uel castro domini, et uasallo tantum utilitas obuenit, ut feudum de camara, feudum soldatae: feudum *extra curtem*, ubi res simul cum utilitate ad uasallum transit. STRVV. *cap. 4. th. 18. n. 5.* ANTON. *Disp. I. th. 4. litt. f.* Sed ita haec diuisio feudi proprii non foret, cum prius membrum ad impropria pertineret.



CAPVT IIII.
DE
FEVDIS IMPROPRIIS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Improprietas feudi non ex iure, sed ex pacto seu conuentione domini et uasalli dependet. Quotcumque ergo modis per conuentionem aliquid detrahitur ordinariae

feudorum naturae, tot modis conſtituitur feudum improprium.

2. Cum uero feudi improprii praecipua ſpecies ſit *femininum*, dubium non eſt, feminas admitti, ſi illis pacto proſpectum. Quod ſi hoc deficiat, ad qualitatem primi adquirentis recurrendum; qualis enim primus adquirens, tale etiam feudum eſt; quia qualitatem, quam in hoc approbat dominus, in ſucceſſoribus reprobaſſe non cenſetur.

3. Quocumque tamen caſu admittuntur feminae, earum ſucceſſio ſemper eſt ſubſidiaria, et non, niſi deficientibus maſculis, admittuntur; niſi aliud expreſſe ſtatutum.

4. Quoties rei qualitas, forte quod mobilis uel conſumtibilis ſit, propriam feudi conſtitutionem non admittit, toties, accedente cautione, et promiſſa fidelitate, feudum conſtituitur improprium, ſine cautione autem non quidem foret nullum, ſed eluſorium.

5. Non autem extendenda eſt improprietas per pactum inducta ultra terminos conuentionis, ſed, cum pactum ſtricti iuris ſit feudum uno reſpectu improprium, alio proprium manebit.

1. *Quid eſt feudum improprium?*

In quo a propria feudi natura receditur, partim ex diſpoſitione iuris feudalis, partim ex pacto et conuentione contrahentium. LVDW. *p. 63.* VVLT. *cap. 8. n. 38.*

2. *Quotuplex eſt feudum improprium?*

Multiplex, pro diuerſitate conuentionis, STRVV. *cap. 4. th. 16.* et quoties per pactum naturae feudi quid detrahitur. Vid. *cap. 3. qu. 4.* Potiſſimum uero impropriatur feudum uel (1) ratione

ne adquiſitionis; uid. *qu. 3. ſeqq.* (2) ratione obiecti, uel reî in feudum datae; *qu. 21. qu. 25.* (3) ratione ſeruitiorum; (4) ratione tranſmiſſionis in heredes.

3. *Quodnam feudum eſt improprium ratione adquiſitionis?*

Quod uel ratione perſonae adquirentis, uel ratione modi adquirendi a propria feudi natura recedit.

4. *Quodnam ratione perſonae adquirentis improprium eſt?*

Femininum, Germanis dictum ein Weiber- oder Kunckel-Lehen, it. Schlair-Lehen, *uid.* BESOLD. *Theſaur. pract. uoc.* Kunckel-Lehen; feminae enim regulariter feudorum capaces non ſunt, utpote ad ſeruitia inhabiles; *2. F. 36. in fin.* inſuper feuda familiae dantur, feminae uero nubendo in alienam familiam tranſeunt.

5. *Quid uero eſt feudum* femininum?

De quo femina primum inueſtita: *2. F. 30.* quod reſpectu deſcendentium poſtea maternum dici ſolet. *1. F. 15.* Perſona uero concedens hic plane non attenditur. ANTON. *th. 7. litt. b.* Exempla feudorum femininorum recenſet MYLER. *de princip. et ſtat. imper. cap. 24.* ITTER. *de feud. imp. cap. 14. §. 15.*

6. *Quodnam est feudum* masculinum?

Hoc itidem ita dicitur a primo adquirente, non a concedente. Hinc masculus a femina feudum masculinum; femina uero a masculo feudum femininum accipere potest. VVLT. *cap. 8. n. 3.* STRVV. *c. 4. th. 17.*

7. *Quale uero feudum, in quo femina ex pacto succedit?*

Manet masculinum, si id masculus primum adquisiuerit: quamuis improprie et hoc femininum appellari soleat; STRVV. *cap. 4. th. 17. num. 3.* WVRMSER. *de feud. impropr. Class. III. sect. 3. n. 39.* quam significationem usus approbauit. ANTON. *Disp. I. th. 7. litt. b.* Alii distinguunt inter feudum femineum et feminae; ita, ut illud sit, quod a femina originem passiuam habet; hoc uero, quod ad mulierem peruenit ex pacto. BITSCH. *Comm. iur. feud. ad 2. F. 30. pag. 559.*

8. *Sed quid, si mater adquirat feudum cum pacto, ut tantum filii succedant?*

Ratione originis femininum est, sed ui pacti masculinum. Nam et mater paciscendo solis filiis prospicere potest. Quod si tamen magnam allodii partem in hoc feudum impenderit, filiabus inde dabitur supplementum legitimae.

9. *Sed*

9. *Sed an in dubio feudum potius masculinum, quam femininum praesumitur?*

Affirm. prius, quia ad feminas regulariter non pertinet, nisi hoc specialiter expressum; §. *hoc autem. 1. F. 1.* immo ad naturalia feudi spectat, ne feminae succedant. §. *fin. 1. F. 8.* Naturalia uero inesse pcaesumuntur; FINCKELTH. *Disp. II. controu. 18.* et illa praesumtio etiam ad feuda imperii pertinet. ITTER. *c. 14. §. 11.*

10. *Quid si uero feudum concessum pro se et heredibus?*

Manet masculinum; quamuis enim alias heredum nomine ueniat filia, non tamen id obtinet in materia feudali, ubi heredes habiles intelligendi.

11. *Daturne feudum mixtum?*

Affirm. scilicet de quo masculus et femina simul primo sunt inuestiti, quod partim masculinum fit, partim femininum. *2. F. 104.* STRVV. *cap. 4. th. 17. n. 4.* Quamquam haec reuera non sit noua feudi species; sed potius duae hic adsunt feudi portiones, quarum una feudi masculini, altera feminini naturam retinet. WVRMS. *de feud. impropr. Class. III. sect. 3. num. 63.* CARPZ. *Disp. feud. 2. th. 4.*

12. *Quomodo uero in tali feudo succeditur?*

Aut concurrunt filii cum filiabus; aut filiae

ſunt ſolae. Si illud, filii (modo ſimul ex eadem matre, quae feudum adquiſiuit, nati ſint,) ſoli ſuccedunt in toto feudo, excluſis filiabus; quia etiam in feudo feminino filiae tantum in ſubſidium ſuccedunt. 2. *F. 30.* Si filia ſola, haec ſuccedit in portione matris, portio patris uero ad dominum reuertitur; 2. *F. 104. in fin.* quoad patrem enim ius ſuccedendi non habet filia, niſi et huic in euentum pacto proſpexerit.

13. *Quodnam feudum* ratione modi adquirendi *ad impropria referunt?*

Quod titulo emtionis quaeſitum; cum feudum ſit beneficium, et hinc regulariter gratuitum. VVLT. *Lib. I. cap. 8. n. 45.* FINCKELTH. *Diſp. II. controu. 4.* WVRMSER. *d. tr. Claſſ. III. ſect. 6. n. 5.*

14. *Sed anne recte feudum emtitium huc refertur?*

Neg. potius feudum hoc proprium manet. Ratio (1) quia emtio naturam feudi non alterat, ſed extrinſecus accedit, ſaluis aliis feudi proprii requiſitis. (2) Nec pecuniae interuentus beneuolentiam domini tollit; uid. *ſupr. cap. 2. quaeſt. 20.* STRVV. *cap. 4. th. 15. n. 2.* LVDW. *p. 66.* immo et beneficium emi dicitur 1. *F. 20.* Aliud in feudo, quod quis iure retrouenditionis tenet.

15. *Quodnam porro ratione modi adquirendi improprium eſt?*

Pignoratitium, ein Pfand-Lehen, quando dominus

minus accepta certae pecuniae summa, sed reseruata sibi reluendi facultate, aliquem inuestit; ANTON. *Disp. I. th. 7. litt. g.* SCHRAD. *de feud. Part. II. cap. 4. n. 57.* cum quo non confundendum est feudum, quod quis pignoris iure detinet, Pfandes-Einhaber.

16. *Quare hoc est improprium?*

Quia non conceditur hac intentione, ut perpetuo apud uasallum sit, sed donec dominus pretium restituerit; hinc et a quouis herede, etiam femina, tamdiu, donec pretium restitutum, detineri potest, STRVV. *cap. 4. th. 14. n. 1.* WVRMS. *d. Cl. III. sect. 7.* quamuis etiam et hoc per pactum ad masculos restringi possit.

17. *Quid est feudum oblatum, seu recognitum?*

Et hoc improprium est, ratione adquisitionis, dum reuera res mea mihi in feudum datur, uel ego eamdem, quasi feudi nomine acceperim ab altero, recognosco, German. ein aufgetragen Lehen. *Vid. supr. quaest. 16. cap. 2.* WVRMSER. *d. Cl. III. sect. 8.* Quamuis et hoc ad feuda propria ob fictionem breuis manus non male referri possit, STRVV. *cap. 7. th. 10. n. 10.* RHET. *Comm. iur. feud. cap. 49. n. 41.* licet, si de eius priuatione agatur, mitius cum tali uasallo procedendum; WVRMSER. *d. l. n. 8.* quod feudis imperii applicat ITTER. *c. 1. §. 12.* ubi uide exempla.

18. *Eſtne uero feudum oblatum nouum uel uetus?*

Nouum eſt, cum illa qualitas de nouo ſuperueniat; hinc fratres in eo non ſuccedunt, licet antea ſuccedere potuerint. WVRMSER. *d. l. num. 10.*

19. *Poteſtne uero quis bona ſua pro lubitu in feudum offerre?*

Aff. ſi liberam diſponendi licentiam habeat, et filiabus in legitima non praeiudicetur.

20. *Quale eſt feudum* iniuratum?

Hoc quoque, quoad modum adquirendi, improprium eſt, cum de natura feudi ſit, ut adquiſiturus feudum iuramentum fidelitatis praeſtet. Vid. *ſupr. qu. 4. cap. 3. et qu. 22. cap. 2.* ZOES. *de feud. P. XII. n. 34.*

21. *Quonam ratione obiecti feudum improprium dicitur?*

Quod in re mobili, uel quae uſu conſumitur, uel cuius poſſeſſio ad uaſallum non tranſit, conſtitutum, e. g. feudum ſoldatae, cet.

22. *An ergo in pecunia feudum conſtitui poteſt?*

Iure feudali non poteſt, quia pecunia neque naturaliter, neque ciuiliter immobilis. Nec obſtat textus 2. *F. 25.* ibi enim ſpecialis caſus de domino non defendente uaſallum habetur, quod ſcil.

ſcil. dominus, ſi ita feudum amiſſum fuerit, uel aliud feudum, uel *nummos in feudum impendendos* (id eſt, unde aliud feudum comparari poſſit) dare debeat. LVDWELL. *c. 2. p. 28.*

23. *Sed annon conſuetudine?*

Affirm. et de conſuetudine Marchiae teſtatur KOEPPEN. *Deciſ. 18. n. 13.* SCHEPLIZ. *Conſuet. Marcb. tit. 25. §. 4. n. 4. ſeqq.* quale feudum ſub nomine Lehen-Gelder, ſiue Lehn-Stamm, communiter uenit. CARPZOV. *Part. III. conſt. 30. def. 10.*

24. *Quomodo uero id fieri poteſt?*

Tripliciter: (1) ſi ipſi uaſallo pecunia ſub conditione fidelitatis detur *cum cautione*, de tantae pecuniae quantitate in caſum finiti feudi reſtituenda; quae cautio id operatur, ut quantitas illa ſemper ſalua exſiſtere praeſumatur. FINCKELTHVS. *Diſp. I. controu. 3.* STRVV. *cap. 4. th. 2. n. 3. 4.* Quamuis hic quoad cautionem diſſentiat, et ſolam inueſtituram ſufficere dicat, *c. 4. th. 3. n. 4.* quod concedimus, quatenus de feudi conſtitutione, non conſeruatione quaeſtio eſt; ad illam enim ſufficit ſola domini conceſſio et fidelitatis promiſſio. (2) Si pecunia tertio alicui ſub uſuris credatur, ut uaſallo inde reditus ſoluantur, STRVV. *d. th. 2. n. 2.* quo caſu certa praedia hypothecae loco obligari ſolent. (3) Si ipſe dominus pecuniam retineat, et inde reditus certos uaſallo praeſtet.

25. *Sed*

25. *Sed an in dubio, si pecuniae utilitas alicui promissa, feudum praesumitur constitutum?*

Non; sed (1) expressa domini concedentis uoluntas, (2) qualitatis nouae feudalis adiectio necessaria est. STRVV. *d. c. 4. th. 3. num. 2.* Alias enim simplex concessio quasi usufructus adesset.

26. *An ergo pecunia ex feudo redacta feudalis est?*

Neg. nec enim pretium in singularibus loco rei succedit: unde *2. F. 26. §. si uasallus* dicitur, quod pecunia, quam quis transactionis nomine pro feudo accepit, non sit feudum. STRVV. *d. c. 4. th. 4.* Pariter nec pecuniae ad emendum feudum destinatio feudum efficit; STRVV. *d. l. th. 5.* quamuis si feudum non emptum ad interesse agnati agere possint. CARPZ. *Part. III. const. 30. def. 6.* illi scil. quibus promissio de emendo feudo facta. CARPZOV. *d.* 7.

27. *Quid si tamen hoc expresse inter agnatos conuentum, ut pecunia ex feudo redacta, pro feudo habeatur?*

Nec sic efficietur feudum, quantum ad dominum, qui tali pactione nullum ius in illam pecuniam consequitur, STRVV. *th. 6. num. 4.* etiamsi pactum sit iuratum, CARPZ. *d. l. def. 3.* Quantum ad agnatos uero, omnino ualebit pactum eousque, ut instar feudi in tali pecunia succedatur,

tur, praesertim cum moribus de futura successione pacta tolerentur. CARPZ. *d. l. def. 4.*

28. *An uero in aliis rebus mobilibus similiter feudum constitui potest?*

Posset, si uel mobilia accessorie ad res immobiles spectent, uel etiam, si sub lege fidelitatis, praestita cautione de re simili, seu eiusdem pretii, finito feudo, restituenda, res mobilis alicui concedatur. *Arg. tit. D. de usufruct. ear. rer. quae usu consum.* WVRMSER. *de feud. impropr. Class. III. sect. 4. n. 8.* In quibus enim rebus potest ususfructus uerus uel quasi constitui, in illis etiam feudum, accedente modo lege fidelitatis. Et sic ualet inuestitura de grege ouium, pecudum, von eisernem Vieh. Conf. TABOR. *de contract. socidae.*

29. *Quodnam feudum ratione seruitiorum est improprium?*

Vbi uel plane nulla, ut in feudo franco, uel certa et determinata seruitia praestantur, ut in feudo conditionato, censuali, guardiae, gastaldiae, aduocatiae, aperturae, cet.

30. *Quid est feudum* francum?

Quod ita conceditur, ut nulla inde seruitia praestentur; Germanice ein Frey-Lehen, a *franc*, id est, Frey, ita dictum. LVDW. *Tr. feud. p. 106.* STRVV. *cap. 4. th. 9.* Plura de proprietate uocabuli *franci* uide apud EYBEN. *Elect. feud. cap. 3. §.*

3. *ſ. 9.* Aliud feudum eſt, in quod ſucceditur iure Francorum, RHETIVS *Comm. iur. feud. F. p. 112. n. 8.* ad quod etiam feminae admittebantur, ROSENTH. *c.* 7. *concl. 25. n. 1.* cui adiungi poteſt feudum iure Fuldenſi conceſſum. WEHNER. *Theſ. pract. uoc.* Fuldiſch-Lehen.

31. *Quid ſi quaedam ſeruitia remiſſa?*

Non ea propter mox fit francum, cum ad ſeruitia non expreſſa nihilominus maneat obligatus uaſallus; remiſſio enim ſtricti iuris eſt; quorſum ſpectant Sattel-freye-Güther, quae immunia a ſeruitiis equeſtribus. RHETIVS *p. 82.*

32. *Annon uero mox feudum francum erit, ſi ſeruitiorum in inueſtitura nulla ſit facta mentio?*

Neg. Si enim aliud actum non ſit, res ita in feudum data cenſetur ac ordinaria feudi natura id requirebat. Contrarium ergo exprimendum, quod ſcil. ſine ſeruitiis haec res fuerit in feudum data. WVRMSER. *de feud. impropr. Claſſ. III. ſect. 9. n. 8.* Immo nec feuda franca tempore ſummae neceſſitatis libera manebunt.

33. *Quid eſt feudum conditionatum?*

Quando certa quaedam ſeruitia expreſſa in inueſtitura, quae uaſallus praeſtare teneatur, ubi ad alia non eſt obligatus, Germanice ein Setz-Lehen, das geſetzte Dienſte hat. ANTON. *Diſp. I. th. 7. litt. K.* LVDW. *Synopſ. pag. 59.* Alii a ſede deri-

deriuant, einen gewissen Sitz zu haben. SCHILTER. *ad ius feud. Alamann. pag. 456.*

34. *Da exempla feudi conditionati?*

Pertinet huc (1) feudum castrense, quod aliis quoque burgense uel burgaticum dicitur, ein Burg-Lehen, ut uasallus dominum iuuet in certo castro defendendo; quorsum spectant pacta ganerbinatus, WVRMSER. *d. l. sect. 21.* KYLLING. *de pact. ganerb. Discurs. XVIII. n. 4.* qualia pacta quoque inter diuersas familias iniri solent, et principaliter mutuam defensionem respiciunt, postea uero ad ius successionis extensa. HAHN. *de iur. rer. concl. 75. n. 8.* (2) Feudum ad expediendum aliquod seruitium aulicum datum, ein Hof-Lehen, ut uasallus forte sit dapifer, ein Truchses. WEHNER. *Thesaur. pract. uoc.* Hof-Lehen. De ridiculis feudi seruitiis, uid. BESOLD. *Thesaur. pract. uoc.* Lehen-Dienst, *ubi* DIETHER. *in Addit.*

35. *Quid est feudum* censuale, ein Zins-Lehen?

Vbi Vasallus praedium sub promissione fidei accipit, ita, ut loco seruitiorum certum censum uel pensionem quotannis praestet: unde et *pensionarium* feudum dicitur, STRVV. *c. 4. thes. 10.* quod a censitico contractu in eo differt, dum fides certa promittitur; qua promissione neglecta feudum esse non praesumitur. WVRMS. *d. Cl. III. sect. 18. c. 9. seqq.*

36. *Quid est feudum* laudemiale?

Quando uel praeter seruitia laudemium certum, siue canon exsoluendus; uel laudemium solum quotannis loco seruitiorum praestatur. WVRMSER. *d. Cl. III. sect. 18. n. 24.*

37. *Quid est feudum* quaternatum?

Vbi loco seruitiorum fructus pro mensa uel sustentatione principis praestantur; appellaturque ita a quaternionibus, seu regiftris regiae curiae, in quibus descripta erant haec feuda, Germ. Tafel-Lehen, WVRMSER. *d. l. sect. 19.* Huc pertinent die Nürnbergische Küchen-Lehen, ex quibus aliquid quotannis ad culinam imperialem praestandum. ITTER. *cap. 3. §. 17.*

38. *Quid est feudum* guardiae?

Quando praedium certum uasallo pro custodia assignatur, ut inde fructus uel ad dies uitae, uel ad certum tempus percipiat. *1. F. 2.* Quod ita dictum a Germanico Warden, custodire, littera W. in GV. mutata. STRVV. *cap. 4. th. 19. n. 1.* LVDW. *pag. 84.* Conf. BITSCH. *Comm. iur. feud. 1. F. 2.*

39. *Quid est feudum* gastaldiae?

Quod loco mercedis pro administratione negotiorum domini uasallo conceditur, *1. F. 2.* ita dictum a *gastaldo*, i. e. oeconomo, seu administratore rei familiaris, qui et actor domini dicitur *1. F. 10.* LVDW. *p. 84.* uel, ut alii uolunt, a Ger-

German. Gaſt, et halten. STRVV. *d. c. 4. th. 19.* BITSCH. *d. l. p. 45.*

40. *Quid eſt feudum* aduocatiae?

Hoc dupliciter capitur: (1) pro eo, quod alicui pro patrocinio, in diſceptandis cauſſis praeſtito, conceditur. LVDWELL. *Synopſ. p. 84.* Cui ſimile eſt feudum *cancellariatus*, quod pro officio cancellariatus conſtitutum eſt. WVRMSER. *d. l. ſect. 16. n. 2.* (2) Vbi defenſio prouinciae, uel urbis, uel eccleſiae alicui committitur. *Arg. 2. F. 27. ſ. 8.* Germanis dicuntur Schuz-Herren, uel Vogtey-Herren. STRVV. *c. 4. th. 20.* ANTON. *Diſp. I. th. 7. litt. R.* MAGER. *de aduocat. armat.*

41. *Quomodo imperator eſt aduocatus eccleſiae?*

Quatenus eſt eius defenſor uniuerſalis, *Rec. Imp. a. 1512. ſ.* Und nachdem. et hoc intuitu pontifici olim praeſtabatur iuramentum, quod non ſubiectionis, ſed protectionis et defenſionis erat; quae defenſio non tantum eccleſiam Romanam concernit, ſed et pariter ad defenſionem eccleſiae Euangelicae obſtrictus eſt imperator, ob *Cap.* LEOP. *art. 1.* ita tamen, ut hodie reſpectus habeatur ad poſſeſſionem d. 1. Ian. 1624. *Inſtr. pac. art. 5. §. 14. ſeqq.*

42. *Quid eſt feudum* aperturae?

Quod hac conditione alicui conceditur, ut ua-

ſallus loco ſeruitiorum tempore belli domino certam arcem uel ciuitatem aperire teneatur. STRVV. *c. 4. th. 21.* alias dicitur *apperibile*, ein aufgebig Lehen. WVRMSER. *d. l. ſect. 20. n. 28.*

43. *Quid uero eſt ius aperturae?*

Hoc ex iure ſuperioritatis dependet, quando unuſquiſque ſubditorum tempore belli principi aperire ciuitatem uel caſtrum tenetur: KNICH. *de iur. territor. c. 4. n. 32. et 304.* ob quam cauſſam principi poſt ingreſſum ciuitatis mox claues offerri ſolent.

44. *Quaenam feuda ratione tranſmiſſionis ſunt impropria?*

Quae uel in heredes quoſcumque tranſmittuntur, ut feudum mere hereditarium, alienabile; uel quae omnino ad heredes non tranſeunt, ut feuda *habitationis*, *ſoldatae*, de *camera*, de *cauena*.

45. *Quid eſt feudum mere hereditarium?*

Quod pro ſe et heredibus *quibuſcumque* conceſſum, in quo perinde, ut in rebus allodialibus, ſucceditur, adeo, ut in quemcumque heredem, etiam extraneum, tranſeat: STRVV. *cap. 4. th. 13.* quod per pactum effici poſſe, probat WVRMSER. *de feud. impropr. Claſſ. III. ſect. 5. n. 30.* Germanis dicitur ein eigenthümlich Lehen-Guth, cui opponitur feudum ex pacto et prouidentia.

46. *Sed*

46. *Sed quomodo hoc differt a reliquis allodialibus?*

Differt ratione fidelitatis hoc caſu praeſtandae, quae formam feudi abſoluit. Nam quoad ſucceſſores feudi dominus ſuo iuri renunciare, et, ſi uelit, quoſcumque admittere poteſt. Inueſtiturae renouatio autem et hic petenda ac ſeruitia praeſtanda.

47. *Quare additur*, pro heredibus quibuſcumque?

Quia, ſi ſimpliciter *pro heredibus* dicatur, illud ſecundum ordinariam feudorum naturam explicandum foret, ita ut intelligantur heredes, a primo adquirente ſanguinem trahentes, uel alias feudorum capaces. LVDWELL. *Synopſ. p. 67. et Tr. p. 104.* VVLTEI. *c. 8. n. 33.*

48. *Quid ergo eſt feudum* ex pacto et prouidentia?

Quod alicui pro ſe et filiis conceſſum, in quo ſucceditur ſecundum ius commune feudale, ſc. ex pacto primi adquirentis, et prouidentia ſeu diſpoſitione iuris feudalis, STRVV. *c. 4. th. 12. n. 1.* adeoque extraneus hic non admittitur, LVDW. *p. 74.* nec hereditatem allodialem coniunctam habet, ut putat ANTON. *Diſp. I. th. 8. litt. K.* quod admitto quoad filios tempore inueſtiturae iam natos, et ſimul cum patre inueſtitos; CARPZ. *P. II. conſtit. 48. def. 10. n. 5.* quoad poſtea natos nego, cum quoad hos adſit iuris paterni, medi-

ante ſanguine, facta deriuatio, ut hinc allodium ſeparare non poſſint, ob textum 2. *F.* 45. Pacto tamen effici poteſt, ne filius ſimul ſuccedat in allodium. ANTON. *Diſp. I. th. 8. litt. K.*

49. *Vnde cognoſcitur, an feudum ſit ex pacto et prouidentia?*

Si nulla heredum mentio fiat, ſed tantum *pro ſe et filiis*, uel *pro ſe et deſcendentibus* maſculis concedatur. ROSENTH. *de feud. cap. 2. concl. 33. n. 3.* German. vor ſich und ſeine männliche Deſcendenten und Lehens-Folgere. ANTON. *Diſp. I. th. ult. litt. K.*

50. *Sed daturne feudum* mixtum?

Affirm. ſcil. ubi etiam iure hereditario ſuccedītur, ita ut feudum ab allodio ſeparare licitum non ſit, ſed filius factum defuncti praeſtare teneatur. 2. *F. 45. in fin.* Verum illi tantum admittuntur, qui maſculi ſunt, et a primo adquirente ſanguinem trahunt, ut hinc qualitas feudi ex pacto et prouidentia hoc caſu fortior ſit. Vnde hoc aliquibus feudum *ſecundum quid* hereditarium dicitur: nam in ceteris communem feudi naturam retinet. STRVV. *cap. 4. th. 13. n. 3.* VVLT. *c. 8. n. 30.* ROSENTH. *cap. 2. concl. 23.* WVRMSER. *Claſſ. III. ſect. 5. n. 77.*

51. *Quibus formulis feudum mere hereditarium a mixto diſtinguitur?*

In illo addi debet: *pro heredibus quibuſcumque;* in

in hoc uero dici ſolet: *pro ſe et ſuis heredibus;* uel: *pro ſe, et filiis, et heredibus maſculis*, ubi uox *heredum* efficit, ne ſit feudum ex pacto et prouidentia: WVRMSER. *d. l. n. 88.* quamuis alii, ſi maſculorum mentio fiat, potius ex pacto et prouidentia eſſe uelint. LVDW. *p.* 72.

52. *Quale uero in dubio praeſumitur feudum?*

Plerique uolunt, praeſumi feudum ex pacto et prouidentia; quia hoc naturae feudorum conueniens eſt; hereditarium uero eſſe, hoc facti eſt, et contra naturam feudi, et ſic probandum: *qu. 6. cap. 3.* WVRMSER. *d. l. n. 107.* VVLT. *c. 8. n. 33.* quamuis, ſi ordinariam feudorum naturam hodie inſpiciamus, magis mixta praeſumenda ſint, cum ſemper fere in inueſtituris reperiatur: Leibes= und Lehens=Erben. An eadem praeſumtio in feudis imperii militet, dubitat ITTER. *cap. 3. §. 20.* Sane multa in imperio dantur feuda hereditaria, ſed inde non mox talia praeſumenda. KLOCK. *Vol. III. conſil. 29. n. 18.* Ius feudale Saxonicum antiquiſſimum eſt in Germania, hoc uero foeminas excludit, et ſemper ad pacta maiorum ſeu ſimultaneam inueſtituram reſpicit: ergo qualitas hereditaria probanda eſt.

53. *Quid eſt feudum* alienabile?

Quod alicui hac ratione conceditur, ut uaſallus idem in quemcumque alienare uel tranſferre

possit, 2. *F.* 48. quod contra propriam feudi naturam est. 2. *F.* 52. WVRMS. *d. Class. III. sect.* 22. Sic in Lusatia nobiles ex priuilegio Ferdinand. I. feuda sibi inuicem sine consensu uendere possunt, sed non extraneis.

54. *Quid est feudum* habitationis?

Quando ius inhabitandi certas aedes uel castrum alicui sub conditione fidei conceditur; quod ius morte exspirat. 2. *F.* 105. LVDW. *Synops. p.* 88. *Tr. p.* 122.

55. *Quale est feudum* soldatae?

Est praestatio certae pecuniae, uel certorum solidorum, uel etiam rei consumtibilis, ad uitam alicui sub lege fidelitatis gratuito concessa. 2. *F.* 10. *in fin.* LVDW. *p.* 88. German. Gnaden-Gelder. Et sic ratione transmissionis hoc et sequentia feuda sunt impropria: si enim perpetua forent, ad feuda propria referri possent; STRVV. *c.* 4. *th.* 18. *n.* 1. praesertim si simul praestentur seruitia.

56. Quotuplex *est feudum soldatae*?

Si generaliter capiatur, feudum de *camara* et de *cauena* sub se continet. 2. *F.* 2. *§.* 1. VVLT. *c.* 8. *n.* 15.

57. *Quid est feudum* de camara?

Vbi princeps certos reditus pecuniarios ex camara seu aerario, singulis annis soluendos, sub conditione fidei et seruitiorum concedit, ein Cammer-Lehen.

58. *An*

58. *An uero hoc debetur, si camara non soluendo fiat?*

Dist. an camara adiecta demonstratiue, an restrictiue: illo casu aliunde satisfieri debet; hoc casu non; *arg. L. 8. §. 2. D. de legat. 2.* sed hic tamdiu tantum liberatur dominus, quamdiu inops est camara. *pr. 2. F. 58.* Si enim iterum locuples fiat, in futurum obligatur. ROSENTHAL. *cap. 2. concl. 76. n. 5.*

59. *Quid est feudum* de cauena?

Vbi princeps certos reditus fructuum, uini uel frumenti, singulis annis ad dies uitae alicui sub lege fidelitatis praestat: STRVV. *cap. 4. th. 18.* LVDWEL. *p. 82.* alias enim foret annua liberalitas.

60. *Vnde hoc ita dicitur?*

Cauenam uulgo dictam uolunt, quasi camaram auenae, et per auenam omnis generis frumentum intelligunt. Alii *de caneua* legunt, quod a uoce *canna*, quae Langobardis cellam significat, deriuatur. VVLT. *cap. 7. n. 13.* Alii a Germanico Kaven hanc uocem deductam uolunt. STRVV. *d. th. 18. n. 3.*

61. *Ergone plane haec feuda cum feudo soldatae coincidunt?*

Negando, si feudum soldatae specialiter capiatur. Nam (1) feudum soldatae est plane gratuitum; de camara uero et cauena ob seruitia dari

ri ſolet. ROSENTH. *de feud. cap. 2. concl. 75. n. 7.* (2) Feudum ſoldatae morte tam dantis, quam accipientis, finitur: *2. F. 10. in fin.* feudum camarae uero non dantis, ſed accipientis, morte perit. LVDW. *Tract. feud. p. 121.* Omnia tamen haec pactis mutabilia ſunt, et hinc certa horum feudorum indoles oſtendi nequit.



CAPVT V.

DE

PERSONIS FEVDVM CONCEDENTIBVS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Facultas concedendi feudum dependet a libera facultate de re ſua diſponendi; unde ſequitur: *quicumque rei ſuae plenum dominium in alterum conferre poteſt, ille etiam minus plenum, ſeu utile, tranſferre ualet.*

2. Quo caſu itaque certis perſonis alienandi facultas reſtricta eſt, illo caſu et feudi conceſſio reſtricta erit, et eadem ſollemnia, quae ad alienationem neceſſaria, ad infeudationem quoque adhibenda.

3. Cum uero feudum fidelitatem pro forma requirat, modus uero praeſtandi fidelitatem ex conuentione dependeat: ille gradus fidelitatis hoc caſu ſufficit, qui pro qualitate perſonarum feudum conſtituentium locum inuenire poteſt.

I. *Quis*

1. *Quis in genere feudum concedere poteſt?*

Qui liberam rerum ſuarum habet adminiſtrationem, *2. F. 3. in fin. princ.* ANT. *Diſp. II. th. 5.* ſiue clericus fuerit, ſiue laicus.

2. *An ergo pontifex feudum recte concedit?*

Affirm. et quidem duplici nomine, partim quatenus eccleſiae ſuae praeſt; partim quatenus bona ſaecularia et certas prouincias poſſidet. Requirunt tamen doctores cardinalium conſenſum, ſi res aliqua maioris momenti in feudum danda ſit, per *c. 17. §. decet. de elect. in 6.* STRVV. *cap. 5. th. 8.* LVDW. *p. 99.*

3. *An pontifex uacante imperio eius uicarius eſt, et ſic quoque feuda in imperio conferre poteſt?*

Pontificii hoc diſputant, et pro affirmatiua pugnant, ob *Cap. un. ne ſede uacant. in extrauag. Ioann. XXII.* et idem quoque placuit GROTIO *de iur. bell. et pac. Lib. II. c. 9. ∫. 11.* Sed falſitatem huius ſententiae demonſtrauit CONRING. *Diſſ. de Germ. imper. Rom. cap. 12.* Conf. ITTER. *c. 4. §. 11.*

4. *Annon reliquae perſonae eccleſiaſticae feudum dare poſſint?*

Affirm. ut patriarcha, archi-epiſcopus, epi-

ſcopus, abbas, abbatiſſa, praepoſitus, modo haec conſuetudo alicubi recepta. *1. F. 1. princ.*

5. Sed an conſenſus capituli neceſſarius?

Reſp. diſtinguendo inter res infeudari ſolitas, et non; illas pro lubitu alteri in feudum dare poſſunt, quia ſic nullum eccleſiae praeiudicium contingit. Quod limitatur, niſi eccleſiae neceſſitas exegerit, ne iterum in feudum dentur, forte, quia eccleſia depauperata: LVDW. *Synopſ. p. 104.* quo caſu praelatus illam rem de menſa eccleſiae, ut loquuntur, facere poteſt; RITTERSH. *Part. I. cap. 5. quaeſt. 12.* in his uero conſenſus capituli neceſſarius. STRVV. *c. 5. th. 9. n. 2.* GAIL. *Obſ. Lib. II. cap. ult.*

6. Quid uero reſpondendum ad 1. F. 6. *ubi perſonis eccleſiaſticis feudorum conſtitutio denegata uidetur?*

Per *titulos* ibi non quaeuis bona eccleſiae intelliguntur, ſed iſta ſaltem praedia, quae ſpeciatim clericis ad ſuſtentationem uel alimenta deſtinata, quae aliis in feudum dare uelle iniquum exiſtimabatur. VVLT. *c. 3. num. 10.* Et ita intelligendum ius canonicum, quando praecipit, ut clericus ſine titulo non ordinetur, id eſt, ſine certa ſede, ex qua neceſſaria uitae percipiat. *Cap. 4. de praebend. cap. ſanctorum 2. diſt.* 70. BITSCH. *Comm. ad 2. F. 6. p. 102.*

7. *Quid*

7. *Quid autem in re infeudari ſolita obſeruabant?*

Vt iiſdem conditionibus in feudum dent, quibus olim datae erant. *c. 2. X. de feud.* Nouas itaque qualitates, quibus alteretur feudum, adiicere non poſſunt. SCHNEIDEWIN. *de feud. pag. 3. n. 33.*

8. *An autem dicto caſu cognatis res eccleſiae in feudum dari poteſt?*

Affirm. ſi cognati ſint idonei et honeſti, et res infeudari ſolita, *arg. cap. 2. X. de feud.* in quibus non facile fraus committi poteſt; ut ſic non obſtet *Nou. CXX. c. 5.* quae de rebus in emphyteuſin dari non ſolitis explicanda. STRVV. *d. l. n. 5.* LVDWEL. *pag. 101.* MYNSING. *Cent. V. obſ. 74.*

9. *Quid ſi uero capitulum uel ſedes uacet?*

Si res infeudari ſolita, capitulum, praelati perſonam repraeſentans, re infeudare poterit: RITTERSHVS. *Lib. I. c. 5. qu. 1.* qui tamen eccleſiam cathedralem uacantem excipit, quod non admittit STRVV. *d. l. n. 6.* Nihil enim ibi innouat capitulum, ſi res ſit infeudari ſolita, quia id facit, quod epiſcopus facere debebat.

10. *Sed quid, ſi de bonis propriis feudum conſtituere uelint clerici?*

Hoc libere poſſunt, modo bona ipſorum non ad eccleſiam deuoluta, ut in monachis, qui nihil pro-

proprium habent. *Auth. ingressi C. de ss. eccles.* STRVV. *cap. 5. th. 3. c.* 2. VVLT. *cap. 3. n. 12.*

11. *An imperator indistincte feudum concedere potest?*

In bonis propriis seu terris hereditariis sine dubio potest; in bonis imperii in feudum dari solitis, perinde hoc ei non denegandum, dum administrationi eiusdem haec commissa. LVDW. *pag. 105. seqq.* Hodie autem feuda maioris momenti, ut ducatus, comitatus, cet. ad imperium reuersa, imperator aliis concedere sine electorum consensu non potest. *Cap.* LEOPOLD. *Art.* 30. Conf. LIMN. *ad Capit.* CAROL. *V Artic. 24. n. 4.* Quo ipso tamen electoratus uacantes non continentur: STRVV. *c. 5. th. 6. n.* 2. CARPZ. *ad leg. reg. cap.* 7. *§. 3. num. 18.* scil. septem illi in A. B. expressi, octauus enim et nonus temporarius est. In feudis ergo minoribus libera adhuc imperatori potestas est. EYBEN. *Elect. feud. c. 8. §. 8.*

12. *An uero imperator ante coronationem ius conferendi feuda imperii habet?*

Aff. Quod de coronatione Papali certum, quae a temporibus Caroli V. penitus neglecta; sed idem quoque dicendum de coronatione Germanica, quia per electionem, et non per coronationem constituitur imperator. Conf. ITTER. *de feud. imp. c. 4. §. 3.*

13. *An*

13. *An rex Romanorum pariter feudum confert?*

Neg. uiuo imperatore, quia nulla administratio negotiorum imperii ipsi competit, nisi quatenus haec ipsi ab imperatore commissa. ITTER. *d. c. 4. §. 9.*

14. *Poteſtne imperator in terris ſibi mediate ſubiectis feudum concedere?*

Affirm. hoc CVRT. *de feud. laicor. Part. II. n.* 2. ſed male; nam iura ſuperioritatis territorialis, principibus imperii competentia, hoc non admitterent.

15. *Quinam ſunt* capitanei *in iure feudali?*

Iidem ſunt, qui alias proceres et principes regni, ſeu uno uerbo, *ſtatus;* ut duces, marchiones, comites. Vt enim caput alicui corpori, ſic illi reliquis ciuibus praeſunt. Et hi proprie capitanei ſunt; *1. F. 1. in fin. princ.* alii uero improprie tales, ut urbium praefecti. VVLT. *c. 4. num. 14.*

16. *Quinam ſunt* duces?

Hi primitus a ducendo exercitu ita dicti; unde et Germanorum Hertzog, quaſi ein Herr des Zugs. Hodie ſunt illi, qui de ducatu a principe ſummo inueſtiti ſunt, *2. F. 10.* LIMNAEVS *Iur. publ. Lib. IIII. cap. 2. n. 15.* REINKING. *de reg. ſaec. et eccleſ. Lib. I. Cl. 7. c. 12. num. 1.* et hi reliquos imperii principes ordinarie antecedunt.

CON

CONRING. *de ducib. German. th. 12. et 17.* Nouiter tamen creati in comitiis imperii regulariter ultimum locum occupant. CRVSIVS *de praecedent. Lib. IIII. c. 15. n. 5.*

17. *Quid hodie requiritur, ut quis ab Imperatore in ducum uel principum classem euehi possit?*

(1) Insignia merita. (2) Possessio bonorum immediatorum, ad sustinendam dignitatem principalem sufficientium. (3) Vt certa summa contribuendi ad onera imperii imponatur. (4) Vt ratione sessionis et uoti reliquis principibus postponantur. (5) Vt electorum, et illius collegii consensus accedat, in quod recipiendus, *Cap.* LEOP. *Artic. 44.* CRVS. *d. l.* quamuis haec magis ad ius comitiorum, quam ad titulum principis consequendum spectent. EYBEN. *c. 9. §. 6.*

18. *Quinam sunt* marchiones?

Qui de marchia inuestiti. *2. F. 10. Marchia* uero a Germanorum Marck dicitur, quod significat limitem, eine Gräntze: nam finibus imperii tuendis primitus praeficiebantur marchiones. VVLT. *c. 4. n. 14.* REINK. *d. Cl. IIII. c. 13. n. 5.* ANTON. *Disp. II. th. 4. litt. d.* Et hi in Italia comitibus postponuntur. CRVS. *d. Lib. IIII. c. 17. n. 36.* In Germania eorum auctoritas maxima est, dum multis etiam ducibus praeferuntur, quale exemplum in marchionibus Brandenburgicis, qui praeferuntur Brunsuicensibus, Wurten-

tenbergensibus, Mecklenburgicis, Pomeranis, Holsatis.

19. *Quinam sunt* comites?

Qui de comitatu aliquo inuestiti sunt. 2. *F. 10.* Et hi olim erant iudices ordinarii, qui causis decidendis praeerant; unde *comites palatini* dicebantur, die Hof-Ritter. VVLT. *d. l.* Vnde originem traxisse uidetur, quod per *A. B. tit. 5. in fin.* Comes Palatinus Rheni dicatur iudex imperatoris: CRVS. *d. c. 17. num. 19. seqq.* quorsum illi spectare uidentur, qui adhuc hodie ab imperatore hoc titulo ornantur cum concessione certorum priuilegiorum iuriumque, quae alias imperator sibi reseruauerat. Conf. *plur.* CARPZ. *de lege reg. c. 10. sect. 10.* Principes uero hoc titulo insigniuntur, quoties prouinciam, quae in palatinatum euecta, possident, ut palatinatus Rheni. REINKING. *d. loc. num. 35.*

20. *Vnde Germanorum* Grave?

Aliqui a Latina, *grauis* uel *grauitate* deriuant, VVLT. *d. n. 14.* alii a *canitie*, Grau: alii a Grabe, quod fossam significat, quasi limitibus praepositi. WEHNER. *Obs. pract. hac uoce*, LIMN. *Lib. IIII. cap. 4. n. 14. seq.* Iudicem tamen etiam Germanis olim uox Grave denotauit: unde *Burggrauii*, Burg-Richter; Landgrauii, Land-Richter. LIMN. *d. c. 4. n. 12.*

21. *Qui-*

21. *Quinam sunt* barones?

Qui de baronatu, uel de feudo cum dignitate baronali, inuestiti. REINK. *d. Cl. IIII. c. 15. n. 18.* et hi quoad dignitatem comitibus regulariter comparantur, quamuis comes ordine praecedat; CRVS. *de praeced. Lib. IIII. c. 21. n. 10.* in comitiis idem scamnum cum comitibus occupant. ITTER. *c. 3. §. 15.* In iure tamen feudali baronum mentio non fit. VVLT. *d. n. 14. p. 62.* ANTON. *Disp. II. th 4. litt. f.*

22. *Estne diuersitas inter barones?*

Vocantur alii *adelingi*, Edle Herren, quod antiquitatem familiae denotat; alii simpliciter dicuntur Herren; alii Semper-Freyen. Sed ratione iurium, quibus in imperio utuntur, coincidunt. REINKING. *d. Class. IIII. c. 14. n. 30. seqq.* ITTER. *c. 5. §. 15.*

23. *Vnde dicti barones?*

Vel a Graeco βαρὺς, quod *grauis* est; uel βᾶρος, *pondus*; uel a Germanorum Bahren, quod filium significat, uel a Baar, quo priscis Germanis idem significatur, quod frey; LIMN. *Lib. IIII. c. 5. n. 14. et 18.* VVLT. *d. p. 62.* uel Bahr, Germanis etiam significat idem, quod tüchtig, tapfer. EYBEN. *Elect. feud. c. 9. §. 1.*

24. *An uero hi omnes feuda concedere potuerunt?*

Affirm. si rei in feudum dandae domini sint liberam-

liberamque illius habeant administrationem. ANTON. *Disp. II. th. 5.*

25. *Annon etiam priuati feuda concedere possunt?*

Affirm. cuiuscumque sint conditionis, modo pariter bona sua libere administrent.

26. *An femina?*

Affirm. (1) quia et illa liberam bonorum administrationem habet, et (2) ob textum *2. F. 3. in fin.* quae sententia benignior dicitur *2. F. 91.* Non obstat, quod femina iurisdictionis capax non sit, *arg. L. 2. D. de reg. iur.* non enim incapaces sunt, qua feminae; nam sic nec ad regna Hispaniae, Angliae, Sueciae, et hodie Daniae forent admittendae; sed sola ciuilis lex feminam a iudicando excludit, quae consuetudine feudali mutari potuit. STRVV. *c. 5. th. 3. n. 1.* LVDW. *p. 112.* Immo, quia hodie iurisdictio patrimonialis est, et feudo cohaeret, nullum est dubium, hanc a femina, feudum possidente, exerceri posse.

27. *Sed annon indistincte hoc feminae permissum?*

Affirm. nisi (1) uel per statutum alienare prohibita sit, ubi nec infeudare poterit. Vnde iure Saxon. ad feudi constitutionem curatore opus habet: STRVV. *d. l.* nisi sit illustris femina, quae curatore non indiget; CARPZ. *Part. II. const. 15. def. 9.* (2) nisi femina luxuriose uiuat, et bona

F dissi-

diſſipet. SCHNEIDEW. *de feud. Part. III. n.* 74. GAIL. *Obſeru. Lib. I. cap.* 57. *in fin.*

28. *An furioſus rem in feudum dare poteſt?*

Negatur, quia ob defectum intellectus bonorum adminiſtrationem amittit: niſi tamen dilucida interualla habeat, ANTON. *Diſp. II. th* 5 *litt. b.* et haec probentur; *arg. L.* 18. §. 1 *D. de adquir. poſſeſſ.* furoris enim remiſſio facti eſt.

29. *Quid iuris in prodigo?*

Poſtquam a magiſtratu declaratus eſt prodigus, cum furioſo comparatur, *L.* 12. *in fin. D. de tut. et curat. dat.* adeo, ut nihil in alterum transferre poſſit. *L.* 10. *pr. D. de curat. furioſ.* ANTON. *d. l.*

30. *An procurator?*

Negando, quia eſt ſpecies alienationis, alienare uero huic non permiſſum. Niſi (1) ſpeciale mandatum infeudandi habeat, quoad hoc enim domino comparatur; SCHNEIDEW. *d. Part. III. n.* 78. uel (2) niſi feudum iam fuerit a domino conſtitutum, hoc enim renouare poteſt; VVLT. *c.* 3. *n.* 2. renouatio enim non eſt alienatio.

31. *An filiusfamilias?*

Affirm. de peculio caſtrenſi et quaſi caſtrenſi, ubi pro patrefam. habetur. *L.* 2. *D. ad SC. Macedon.* Idem dicendum de peculio aduentitio extra-

traordinario, ob liberam filii inter uiuos administrationem, et cessans praeiudicium paternum. *Nou. CXVII. c. 1.* LVDW. *p. 97.* STRVV. *c. 5. n. 2. et 3.*

32. *An minor?*

Neg. etiamsi curatorem habeat, quia nec cum hoc res immobiles alienare potest. *L. 4. C. de praed. minor.* Decretum ergo iudicis accedat, necessum est. STRVV. *c. 5. th. 4. n. 4.* Renouatio tamen ueteris feudi indistincte ipsis conceditur. ANTON. *th. 5. in fin.*

33. *An surdus et mutus?*

Aut mentem satis exprimere potest, aut non: hoc casu cum curatore, accedente decreto, potest; illo casu solus. STRVV. *c. 5. th. 4. n. 5.*

34. *An rusticus?*

Affirm. quia non personae dignitas, sed libera disponendi facultas respicitur. Nec obstat, quod rusticus iurisdictionem non habeat, et ea etiam per pactum transferri non possit. *L. 3. C. de iurisdict.* Nam iurisdictio hic non pacto, sed per consuetudinem feudalem transfertur, et non iure magistratus, sed iure singulari competit. THAOR. *Comm. ad 1. F. 1. pag. 15.* EYBEN. *Elect. feud. c. 8. §. 9. seq.* STRVV. *c. 5. th. 3. n. 3.* LVDW. *p. 110.* Immo iurisdictio non est de substantia feudi, cum ad ordinarium loci iudicem recurri possit. *Vid. infr. cap. 25. qu. 6.* Dissentit FACHIN. *Controu. Lib. VII. cap. 74.*

35. *Quomodo in iure feudali concedens feudum appellatur?*

(1) *Dominus*, non tam ob dominium directum penes se retentum, quam ob fidem et seruitia ipsi honoris caussa a uasallo debita. LVDWELL. *Synopſ. pag. 91.* (2) Dicitur *senior. 1. F. 17. et 18. in fin.* non ab aetate, sed a Langobardorum *ſignore* uel *ſegnore*, quod dominum significat. VVLT. *cap. 3. in fin.* ANT. *Diſp. II. th. 1. litt. b.* EYBEN. *Elect. feudal. cap. 8. §. 6.*



CAPVT VI.

DE PERSONIS FEVDVM ADQVIRENTIBVS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Facultas adquirendi feudum dependet a facultate adquirendi rerum dominia. Ergo quicumque prohibetur, quo minus certam rem sibi comparare possit, ille etiam prohibetur illam rem in feudum accipere.

2. Habilitas tamen ad adquirendum feudum non aestimanda est ex ordinariis iuris feudalis regulis, sed ex arbitrio domini, hanc personam pro uasallo agnoscere uolentis, nisi tamen lex publica illam personam ab adquisitione rerum excludat. Exemplum est in Ariano, et in Iudaeo in Saxonia.

3. Cum uero in inuestitura noui feudi dominus uitium sciat, et uasal-

uasallum inhabilem scienter inuestiendo, de inhabilitate dispenset, non inde deducendum argumentum ad habilitatem succedendi; feudum enim in dubio successoribus habilibus concessum uidetur.

1. *Quomodo adquirens feudum appellatur?*

Vasallus, item *fidelis*, *1. F. 10.* a fide domino promissa; *clientulus*, *1. F. 13.* quia dominum patronum agnoscit; *miles*, *1. F. 22.* a seruitiis militaribus regulariter praestandis; *beneficiatus* etiam et *feudatarius*. VVLT. *c. 4. n. 12. in fin.*

2. *Vnde uox* uasalli *descendit?*

Variant hic doctores. Aliqui a Germano Bassen deducunt, quod est ligare, stringere; unde Besseln, uincula denotant; ad indigitandum arctissimum uinculum, quo uasallus et dominus constringuntur. Alii a Germanico Gesell, quasi socius, comes. Alii a Germanico Baseln, quia uasalli ex feudis fructus percipiunt. Alii a Gothico Wäsel, quod obnoxium significat. STRVV. *c. 5. th. 12.* FINCKELTH. *Disp. I. Controu.* 1. German. uasalli dicuntur Mannen, de quo EYBEN. *Elect. feud. c. 9. n. 4.*

3. *Quotuplices sunt uasalli?*

Duplices: alii capitanei, alii *ualuasores*. VVLT. *c. 4. n. 14.*

4. *Qui sunt* capitanei?

Vid. *supr. quaest. 12. cap. 5.* et hi ipsi certo re-

ſpectu dominis, alio reſpectu uaſallis annumerantur.

5. *Vnde dicti ualuaſores?*

A *ualuis* uel portis, ad quas apparere, et excubias agere tenebantur. VVLT. *d. l. p. 61.* uel a Germanico Wall, propugnaculum, et Vaſt, firmum, quaſi Wall-Vaſters, quibus fortalitium aliquod concredebatur. LVDW. *p. 113.* STRVV. *c. 5. th. 13. in fin.*

6. *Quotuplices ſunt ualuaſores?*

Vel *maiores*, uel *minores*, uel *minimi.*

7. *Quinam* maiores?

Qui a principe feudum ſine regali dignitate accipiunt, et de plebe aliqua, ut urbe, uel caſtro, ſunt inueſtiti; *2. F. 10.* qui et alias capitanei dicuntur, ſed improprie tantum, reſpectu minorum ualuaſorum. STRVV. *c. 3. th. 5. n. 4.* Exemplum poſſet eſſe in nobilibus imperii immediatis: non quaſi hoc exemplum penitus quadret, ſed quod proxime accedat, ad illos ualuaſores maiores; reuera enim haec diſtinctio uaſallis in imperio applicari nequit. Vid. ITTER. *c. 3. §. 2.* Commodius hodie feuda diſtinguuntur in feuda mediata et immediata. HORN. *c. 5. §. 25.*

8. *Quinam ſunt* minores?

Qui feudum a maioribus ualuaſoribus accipiunt, *2. F. 10.* VVLT. *c. 4. n. 14. p. 63.* quod reuera ſubfeudum eſt.

9. *Qui*

9. *Qui sunt* minimi?

Qui a ualuasoribus minoribus feudum accipiunt, et alias ualuasini dicuntur. *1. F. 7.* Quorum feuda olim iure feudi non censebantur, sed demum apud Mediolanenses hoc receptum. *2. F. 10.* CVIAC. *ad d. tit.* VVLT. *d. l.*

10. *An omnes feudum adquirere possunt?*

Affirm. cuiuscumque conditionis fuerint, nisi speciali prohibitione exclusi. Haec prohibitio uel generalis est, ubi adquisitio bonorum alicui in certa prouincia interdicta, uel specialis, ubi feudorum comparatio ipsi denegata ob hoc, daß er nicht Lehens-fähig ist; quamuis, si dominus feudi simul sit dominus territorii, ille per dispensationem huic quoque inhabili succurrere possit.

11. *An femina?*

Affirm. quamuis enim seruitia regulariter non possit praestare, et ea propter nec in feudum succedat; dominus tamen feminam scienter inuestiendo, iuri suo renunciasse, et substitutum ad seruitia admisisse praesumitur. STRVV. *cap. 5. th. 12. princ.* LVDW. *pag. 114.*

12. *An hermaphroditus?*

Affirm. non attenta sexus praerogatiua, (attamen sexus praerogatiua in successione feudali attendenda, quia ibi soli masculi admittuntur, ut

hinc sequenda *L. 10. D. de stat. hom.*) modo dominus eum hermaphroditum esse sciuerit: LVDWELL. *p. 115.* facilius enim feudum de nouo conceditur, quam in illud succeditur.

13. *An impubes?*

Affirm. si tutoris auctoritate adquirat; sine tutore uero feudum sibi quidem adquirit, sed ad seruitia non obligatur; nam sic unilateralis siue claudicans est obligatio, *pr. Inst. de auctor. tut.* STRVV. *c. 6. th. 18. num. 1.* cum hic non simpliciter pupilli conditio melior reddatur. LVDWELL. *p. 116.*

14. *An infans?*

Neg. ne quidem tutore auctore, quia nullum negotium gerere potest infans, cui tutoris auctoritas accedat. Tutor itaque nomine infantis feudum adquirit. *Arg. l. 18. §. 2. C. de iur. delib.* VVLT. *c. 4. n. 5.* LVDW. *p. 118.* Iuramentum tamen, hoc et priori casu, in tempus pubertatis differtur. ANT. *Disp. II. th. 6. litt. b.* In praxi saepius ad maiorennitatem usque.

15. *An minor?*

Affirm. siue curatorem habeat, siue non; obligatio enim ad seruitia personalis est, quae sine curatore subsistit: *L. 101. D. de uerb. oblig.* nam curator non personae, sed bonis, datur.

16. *An seruus?*

Affirm. non qua talis, sic enim pro nullo habetur,

betur, *L. 23. D. de reg. iur.* et militiae capax non est; *L. 11. D. de re milit.* sed uel ex persona domini, quatenus ille feudi capax; modo dans feudum sciuerit, hunc esse seruum alterius, *2. F. 3. §. 2. uers. personam uero*, uel ex tacita libertatis concessione, ut, si a domino proprio inuestiatur. SCHNEIDEW. *Part. III. n. 68.* LVDW. *pag. 121.* VVLT. *Lib. I. cap. 4. n. 7.*

17. *An filiusfamilias?*

Affirm. quia in omnibus caussis ut paterfamilias obligari potest. *L. 39. D. de obligat. et act.* A patre tamen feudum accipere nequit, cum in donationem incideret, quae inter patrem et filium non est permissa. *L. 1. §. 1. D. pro donat.* Nec obligatio feudalis inter eos consistere potest, VVLT. *c. 4. n. 8.* LVDW. *p. 119.* nisi accedente emancipatione.

18. *An clericus?*

Affirm. *2. F. 40. §. fin.* si dominus eum scienter de feudo inuestiat. LVDW. *p. 125.* Ratio est in *quaest. 11.*

19. *An rusticus?*

Affirm. quod et iure Saxon. hodie obseruatur. CARPZ. *Part. 3. const. 8. def. 5.* Subinfeudare tamen uasallus rusticum non potest, ne domino deteriorem uasallum substituat: LVDWELL. *pag. 23.* quod et in sequentibus duabus quaestionibus procedit.

20. *An coecus, ſurdus et mutus poſſunt feudum adquirere?*

Si dominus huius uitii naturalis non ignarus fuerit, ſubſiſtit feudi datio, et tacite ipſis conceſſum cenſetur, ut ſeruitia praeſtentur per ſubſtitutum. VVLT. *c. 4. n. 11.* ROSENTH. *cap. 3. concl. 8.* Vid. *Tract. noſtr. de iur. ſenſ. Diſſert. II. c. 3. n. 4. et Diſſ. IIII. cap. 3. n. 3.*

21. *Quid in furioſo et mente capto?*

His quidem defectus intellectus reſiſtit, dum non intelligunt, quod agunt; cum tamen res alias adquirere poſſint per ſuos curatores, idem quoque de feudis dicendum.

22. *An ſuperior ab inferiore?*

Affirm. 2. *F. 100.* cum et ſuperior inferior[illegible] riſdictioni ſe ſubmittere poſſit. *L. 14. D.* [illegible] *dict.* LVDW *pag. 122.*

23. *Quinam uero feuda* [illegible] *poſſunt*[illegible]

Speci[illegible] ommu-
ni[illegible] [illegible]os omnes
[illegible] *D. de publ.*
[illegible]tatis ſeu eque-
n. 12.

CAPVT

CAPVT VII.

DE NVPTIIS ET TVTELA FEVDALI.

GENERALIA CAPITIS.

1. Matrimonium uasalli iure feudali determinatum non est; unde, quidquid in aliorum nuptiis obseruandum, idem quoque hic locum sibi uindicabit.

2. Facultas tamen paciscendi super matrimonio, ne uxor et liberi dignitatis et successionis participes fiant, speciatim iure feudali permissa, quod pactum morganaticum dicitur; quo ipso tamen, quae per naturam debentur liberis, ipsis auferri nequeunt, e. gr. ut soboli sit legitima, ut capiat alimenta.

3. T feudalis eodem iure aestimatur, quo tutela aliunde, qui proximus in feudo successor est, ille proxi est in tutela.

tiis uasalli iuri feudali spe-
quid prouisum?

ne de iure communi uel canoenus hoc ius in matrimonialinur, circa nuptias statuta, eadem inebunt, cum cesset specialis ors, *arg.* 2. *F.* 1. nisi quantum matri*organaticam* contractum concernit, m etiam in statuum imperii nuptiis, pontificii uxorem consobrinam sine ne episcopi ducere nequeunt. Euangelici

gelici uero, quia in ecclesiasticis neminem agnoscunt superiorem, per *§. 48. tit. 5. Instr. pac.* dispensatione hac opus non habent, sed quousque ius diuinum non resistit, libere nuptias ineunt.

2. *Vnde dicitur* morganatica?

Itali hanc uocem in Latino corruptam a Langobardis esse dicunt, quasi mortis caussa donatio. MATTH. *de* AFFLICT. *ad* 2. *F.* 29. Verius ex Germanorum uoce Morgengabe descendit, quod est matutinale donum, altera die nuptiarum sponsae offerri solitum, quasi praemium uirginitatis delibatae: BITSCH. *Comm. feud. ad* 2. *F.* 29. et inde matrimonium ad morgengabicam contractum rectius dici uidetur. STRVV. *c. 9. th. 5. n. 9.* BESOLD. *Thesaur. pract. uoc.* Morgengabe.

3. *Quid est ergo* matrimonium ad morganaticam *contractum?*

Quando uasallus hac conditione cum femina aliqua nuptias contrahit, ut uxor pariter, ac liberi inde nati, accepto dono nuptiali, uel certa bonorum portione a reliqua hereditate, immo et dignitate paterna, excludantur. Cuius matrimonii exempla inter principes aliasque illustres personas recenset MYLER. *in Gamolog. princip. cap. 6. n. 15. sequ.* et has secundarias uxores uocat PVFENDORF. *de iur. nat. et gent. Lib. VI. c. 1. §. ult.*

4. *Qua-*

4. *Qualia uero pacta principes, hoc matrimonium inituri, moribus adiicere ſolent?*

(1) Vt liberi inſignia paternae familiae non aſſumant. (2) Vt cum filiis prioris matrimonii in feudis, dynaſtiis, et allodiis non ſuccedant. (3) Ne uxor in praeiudicium illuſtriſſimae familiae a caeſarea maieſtate hos liberos in numerum principum recipi petat; ſed (4) ut uxor cum liberis certa bonorum parte pacto aſſignata, loco alimentariae prouiſionis contenta uiuat. MYLER. *dict. c. 6. §. 1.*

5. *Annon uero pater teſtamento his liberis quid amplius relinquere poteſt, quam pacto prouiſum eſt?*

Aff. Ex illis ſcil. bonis, de quibus liberam teſtandi licentiam habet; haec enim, cum in extraneum transferre poſſit, cur non etiam in filium morganaticum? Et pactum in fauorem patris adiectum, cui renunciare ualet.

6. *Quis finis huius matrimonii?*

Vt conſeruentur familiae illuſtres, liberiſque prioris matrimonii per diuiſionem feudorum praeiudicium non contingat; PVFENDORF. *d. l.* ipſe uero maritus in peccato (ſeu illicito concubitu) uiuere non compellatur. 2. *F.* 29. Re uera tamen hoc pactum continet diffidentiam erga Deum.

7. *Er-*

7. *Ergone uerum hic subest matrimonium?*

Affirm. quia indiuiduam uitae consuetudinem cum tali uxore contrahit maritus, adhibita benedictione sacerdotali. Et quamuis sinistrae manui iungi soleat uxor talis, nihil tamen inde decedit uinculo matrimoniali. Immo et si dextra manus accesserit, nil iuris melioris inde adquirit uxor, si pactum hoc obstet.

8. *Sed numne iustum est, ut illa, quae per naturam debentur liberis, pacto parentum auferantur?*

Nihil hic adimitur liberis, quam quod ciuile est, unde et legitimi dicuntur. *2. F. 29.* Dignitas enim parentum per leges ciuiles saltem communicatur liberis; hereditas uero paterna tota numquam ipsis iure naturae assignata. Pactis ergo, praesertim secundum mores Germaniae de futura liberorum successione conuenire licebit. MYLER. *d. cap. 6.* HENR. SALMVTH. *de matrim. princ. cum uirgin. nobil. qu. 2. pag. 152.* Add. GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap. 7. §. 9. et ibi* ZIEGL. *in not.*

9. *Sed quid sentiendum de matrimonio principis cum uirgine nobili?*

Si pactum morganaticum absit, iustum erit matrimonium, nec liberis deneganda successio, quia nulla lex imperii obstat. FELTMAN. *de impari*

pari matrim. HENR. SALMVTH. *de matrim. pr. cum uirg. nob.*

10. *Annon uero dotem ex feudo filia uasalli praetendere potest?*

Vid. infr. cap. 21. qu. 22. seqq.

11. *Quotuplex est tutela feudalis?*

Triplex, perinde ut de iure ciuili: alia *testamentaria*, alia *legitima*, alia *datiua*.

12. *Poteritne uero uasallus filio suo testamento tutorem dare?*

Affirm. non tantum quoad bona allodialia, sed et feudalia, quia nuspiam in iure feudali hoc uasallo ademtum. Nec obstat *1. F. 8.* ibi enim, ne de ipso feudo testetur, saltem interdictum. ROSENTH. *de feud. cap. 12. concl. 10. n. 11.* SCHRAD. *P. X. sect. 19. num. 6.*

13. *Sed quos testamento dabit tutores?*

Non tantum agnatos, seu in feudo successuros, sed quosuis etiam extraneos, de iure communi habiles, SCHRAD. *d. l. n. 14.* ubi *n. 61.* hoc in principibus quoque uerum esse asserit: quamuis exclusio agnati proximi in principibus parum consulta sit. IO. LEONHARD. A PVHEL. *de tut. elect. et princ. cap. 4. n. 47.*

14. *Licebitne idem electori quoad electoratum?*

Communis sententia est, tutelam testamentariam

riam in electoratu ſibi non uindicare locum, ſed mox legitimo tutori, ſeu proximo agnato, deberi tutelam ex diſpoſitione *Aur. Bull. c. 7. ʃ. 2.* quam ſententiam imperatoris et plerorumque electorum uoto roboratam adſtruit LIMN. *Iur. publ. Lib. I. cap. 11. n. 103. ſeqq.* Contrarium tamen defenderunt DIONYS. GOTHOFR. et MARQV. FREHER. *de tutel. elect.* Sane ſi per tutelam legitimam ſtatus electoralis in diſcrimen uocetur, non iniquum eſt ab ea recedere. OLDENBVRG. *ad Inſtrum. pac. Part. I. diſc. 25. membr. 2. ʃ. 5.*

15. *Annon uero in aliis ditionibus hereditariis teſtamento tutorem dare poteſt?*

Affirm. quia in illis ceſſat ratio A. B. uid. LIMN. *ad A. B. cap. 7. §. 2. Obſ. 24.* qui quamuis quaeſtionem de curatore, non tutore, formandam eſſe dicat, cum bonis non detur tutor: *L. 12. D. de teſtam. tut.* attamen cum hic de diuerſis prouinciis quaeſtio ſit, non obſtat ius ciuile. *L. 15. D. eod.*

16. *Quis in feudo eſt tutor legitimus?*

Is, ad quem ſucceſſionis commodum pertinet: *arg. L. 1. pr. D. de legit. tutor.* ſoli ergo agnati, non cognati, tutores erunt. BRVNN. *ad Auth. ſicut. C. de legit. tut.* SCHRAD. *d. l. n. 34.* Et ubi feuda ſunt indiuiſibilia, ſolus ſenior (quod in Saxonia generale eſt, CARPZ. *Part. II. conſt. 11. def. 11. n. 1.*) ex agnatis tutor erit, cum ſolus ſuccedat.

ſuccedat. PÜHEL. *d. tr. c. 5. n. 6.* In principatibus agnatis tutoribus communiter adiungi ſolent conſiliarii tutelares, Vormundſchafts-Räthe. PÜHEL. *cap. 10. n. 60.*

17. *Sed annon prae ceteris agnatis matri et auiae tutela feudalis deferenda?*

Affirm. Quamuis enim hae ipſae in feudum non ſuccedant: cum tamen tutela ipſis non ratione ſucceſſionis, ſed affectionis, deferatur, a tutela feudali non excludendae; SCHRAD. *Part. X. ſect. 19. n. 26.* ROSENTH. *c. 12. concl. 10. n. 20.* quod in ducatu Megapolitano in feudis ſpeciatim receptum, teſte SCHRAD. *d. l. n. 27.* ubi *n. 28.* idem ad ducatus et principatus extendit ROSENTHAL. *d. l. n. 25.* PÜHEL. *c. 5. n. 22. ſeqq.* Tutorium Eleonorae Mariae, duciſſae Mecklenb. quae a. 1639. tutrix liberorum ab imperatore confirmata, exhibet ROMANVS *Diſp. de tutel. perſon. illuſtr. ſ. 21.* Plura exempla tutricum illuſtrium oſtendit ſubſcriptio *Receſſus imp.* de a. 1654. Aliud tamen in Saxonia quoad matrem obtinere, dicit CARPZ. *Part. II. conſt. 11. def. 11. n. 14.*

18. *Quid in ſimultanee inueſtito?*

Etiam hunc legitimum tutorem eſſe uolunt, ob certam ſuccedendi ſpem. SCHRAD. *d. l. n. 49.* Quod et in illis procedit, quibus ex pacto confraternitatis ſucceſſio debetur. PÜHEL. *d. tr. c. 5. n. 12.*

hinc sequenda *L. 10. D. de stat. hom.*) modo dominus eum hermaphroditum esse sciuerit: LVDWELL. *p. 115.* facilius enim feudum de nouo conceditur, quam in illud succeditur.

13. *An impubes?*

Affirm. si tutoris auctoritate adquirat; sine tutore uero feudum sibi quidem adquirit, sed ad seruitia non obligatur; nam sic unilateralis siue claudicans est obligatio, *pr. Inst. de auctor. tut.* STRVV. *c. 6. th. 18. num. 1.* cum hic non simpliciter pupilli conditio melior reddatur. LVDWELL. *p. 116.*

14. *An infans?*

Neg. ne quidem tutore auctore, quia nullum negotium gerere potest infans, cui tutoris auctoritas accedat. Tutor itaque nomine infantis feudum adquirit. *Arg. l. 18. §. 2. C. de iur. delib.* VVLT. *c. 4. n. 5.* LVDW. *p. 118.* Iuramentum tamen, hoc et priori casu, in tempus pubertatis differtur. ANT. *Disp. II. th. 6. litt. b.* In praxi saepius ad maiorennitatem usque.

15. *An minor?*

Affirm. siue curatorem habeat, siue non; obligatio enim ad seruitia personalis est, quae sine curatore subsistit: *L. 101. D. de uerb. oblig.* nam curator non personae, sed bonis, datur.

16. *An seruus?*

Affirm. non qua talis, sic enim pro nullo habetur,

betur, *L. 23. D. de reg. iur.* et militiae capax non eſt; *L. 11. D. de re milit.* ſed uel ex perſona domini, quatenus ille feudi capax; modo dans feudum ſciuerit, hunc eſſe ſeruum alterius, *2. F. 3. ſ. 2. uerſ. perſonam uero*, uel ex tacita libertatis conceſſione, ut, ſi a domino proprio inueſtiatur. SCHNEIDEW. *Part. III. n. 68.* LVDW. *pag. 121.* VVLT. *Lib. I. cap. 4. n. 7.*

17. *An filiusfamilias?*

Affirm. quia in omnibus cauſſis ut paterfamilias obligari poteſt. *L. 39. D. de obligat. et act.* A patre tamen feudum accipere nequit, cum in donationem incideret, quae inter patrem et filium non eſt permiſſa. *L. 1. §. 1. D. pro donat.* Nec obligatio feudalis inter eos conſiſtere poteſt, VVLT. *c. 4. n. 8.* LVDW. *p. 119.* niſi accedente emancipatione.

18. *An clericus?*

Affirm. *2. F. 40. §. fin.* ſi dominus eum ſcienter de feudo inueſtiat. LVDW. *p. 125.* Ratio eſt in *quaeſt. 11.*

19. *An ruſticus?*

Affirm. quod et iure Saxon. hodie obſeruatur. CARPZ. *Part. 3. conſt. 8. def. 5.* Subinfeudare tamen uaſallus ruſticum non poteſt, ne domino deteriorem uaſallum ſubſtituat: LVDWELL. *pag. 23.* quod et in ſequentibus duabus quaeſtionibus procedit.

20. *An coecus, surdus et mutus possunt feudum adquirere?*

Si dominus huius uitii naturalis non ignarus fuerit, subsistit feudi datio, et tacite ipsis concessum censetur, ut seruitia praestentur per substitutum. VVLT. *c. 4. n. 11.* ROSENTH. *cap. 3. concl. 8.* Vid. *Tract. nostr. de iur. fenf. Differt. II. c. 3. n. 4. et Diff. IIII. cap. 3. n. 3.*

21. *Quid in furioso et mente capto?*

His quidem defectus intellectus resistit, dum non intelligunt, quod agunt; cum tamen res alias adquirere possint per suos curatores, idem quoque de feudis dicendum.

22. *An superior ab inferiore?*

Affirm. *2. F. 100.* cum et superior inferioris iurisdictioni se submittere possit. *L. 14. D. de iurisd. dict.* LVDW *pag. 122.*

23. *Quinam uero feuda adquirere non possunt?*

Speciatim prohibiti; ut haeretici, excommunicati, banniti, infames, et per consequens omnes de crimine publico damnati, *arg. L. 7. D. de publ. iud.* praesertim, si sit feudum dignitatis seu equestre. LVDW. *p. 128.* VVLT. *cap. 4. n. 12.*

CAPVT

CAPVT VII.

DE

NVPTIIS ET TVTELA FEVDALI.

GENERALIA CAPITIS.

1. Matrimonium uasalli iure feudali determinatum non est; unde, quidquid in aliorum nuptiis obseruandum, idem quoque hic locum sibi uindicabit.

2. Facultas tamen paciscendi super matrimonio, ne uxor et liberi dignitatis et successionis participes fiant, speciatim iure feudali permissa, quod pactum morganaticum dicitur; quo ipso tamen, quae per naturam debentur liberis, ipsis auferri nequeunt, e. gr. ut soboli sit legitima, ut capiat alimenta.

3. Tutela feudalis eodem iure aestimatur, quo tutela allodialis: unde, qui proximus in feudo successor est, ille quoque proximus est in tutela.

I. *Numne de nuptiis uasalli iuri feudali specialiter quid prouisum?*

Regulariter quae de iure communi uel canonico, quatenus hoc ius in matrimonialibus sequimur, circa nuptias statuta, eadem et in uasallo obtinebunt, cum cesset specialis ordinatio feudalis, *arg. 2. F. 1.* nisi quantum matrimonium *ad morganaticam* contractum concernit, *2. F. 29.* Idem etiam in statuum imperii nuptiis, ex quibus pontificii uxorem consobrinam sine dispensatione episcopi ducere nequeunt. Euangelici

gelici uero, quia in ecclesiasticis neminem agnoscunt superiorem, per *§. 48. tit. 5. Instr. pac.* dispensatione hac opus non habent, sed quousque ius diuinum non resistit, libere nuptias ineunt.

2. *Vnde dicitur* morganatica?

Itali hanc uocem in Latino corruptam a Langobardis esse dicunt, quasi mortis caussa donatio. MATTH. *de* AFFLICT. *ad* 2. *F.* 29. Verius ex Germanorum uoce Morgengabe descendit, quod est matutinale donum, altera die nuptiarum sponsae offerri solitum, quasi praemium uirginitatis delibatae: BITSCH. *Comm. feud. ad* 2. *F.* 29. et inde matrimonium ad morgengabicam contractum rectius dici uidetur. STRVV. *c. 9. th. 5. n. 9.* BESOLD. *Thesaur. pract. uoc.* Morgengabe.

3. *Quid est ergo* matrimonium ad morganaticam *contractum*?

Quando uasallus hac conditione cum femina aliqua nuptias contrahit, ut uxor pariter, ac liberi inde nati, accepto dono nuptiali, uel certa bonorum portione a reliqua hereditate, immo et dignitate paterna, excludantur. Cuius matrimonii exempla inter principes aliasque illustres personas recenset MYLER. *in Gamolog. princip. cap. 6. n. 15. sequ.* et has secundarias uxores uocat PVFENDORF. *de iur. nat. et gent. Lib. VI. c. 1. §. ult.*

4. *Qua-*

4. *Qualia uero pacta principes, hoc matrimonium inituri, moribus adiicere solent?*

(1) Vt liberi infignia paternae familiae non affumant. (2) Vt cum filiis prioris matrimonii in feudis, dynaftiis, et allodiis non fuccedant. (3) Ne uxor in praeiudicium illuftriffimae familiae a caefarea maieftate hos liberos in numerum principum recipi petat; fed (4) ut uxor cum liberis certa bonorum parte pacto affignata, loco alimentariae prouifionis contenta uiuat. MYLER. *dict. c. 6. ʃʃ. 1.*

5. *Annon uero pater teftamento his liberis quid amplius relinquere poteft, quam pacto prouifum eft?*

Aff. Ex illis fcil. bonis, de quibus liberam teftandi licentiam habet; haec enim, cum in extraneum transferre poffit, cur non etiam in filium morganaticum? Et pactum in fauorem patris adiectum, cui renunciare ualet.

6. *Quis finis huius matrimonii?*

Vt conferuentur familiae illuftres, liberifque prioris matrimonii per diuifionem feudorum praeiudicium non contingat; PVFENDORF. *d. l.* ipfe uero maritus in peccato (feu illicito concubitu) uiuere non compellatur. 2. *F.* 29. Re uera tamen hoc pactum continet diffidentiam erga Deum.

7. *Er-*

7. *Ergone uerum hic subest matrimonium?*

Affirm. quia indiuiduam uitae consuetudinem cum tali uxore contrahit maritus, adhibita benedictione sacerdotali. Et quamuis sinistrae manui iungi soleat uxor talis, nihil tamen inde decedit uinculo matrimoniali. Immo et si dextra manus accesserit, nil iuris melioris inde adquirit uxor, si pactum hoc obstet.

8. *Sed numne iustum est, ut illa, quae per naturam debentur liberis, pacto parentum auferantur?*

Nihil hic adimitur liberis, quam quod ciuile est, unde et legitimi dicuntur. 2. *F.* 29. Dignitas enim parentum per leges ciuiles saltem communicatur liberis; hereditas uero paterna tota numquam ipsis iure naturae assignata. Pactis ergo, praesertim secundum mores Germaniae de futura liberorum successione conuenire licebit. MYLER. *d. cap.* 6. HENR. SALMVTH. *de matrim. princ. cum uirgin. nobil. qu.* 2. *pag.* 152. Add. GROT. *de iur. bell. et pac. Lib. II. cap.* 7. *§.* 9. *et ibi* ZIEGL. *in not.*

9. *Sed quid sentiendum de matrimonio principis cum uirgine nobili?*

Si pactum morganaticum absit, iustum erit matrimonium, nec liberis deneganda successio, quia nulla lex imperii obstat. FELTMAN. *de impari*

pari matrim. HENR. SALMVTH. *de matrim. pr. cum uirg. nob.*

10. *Annon uero dotem ex feudo filia uasalli praetendere potest?*

Vid. infr. cap. 21. qu. 22. seqq.

11. *Quotuplex est tutela feudalis?*

Triplex, perinde ut de iure ciuili: alia *testamentaria*, alia *legitima*, alia *datiua*.

12. *Poteritne uero uasallus filio suo testamento tutorem dare?*

Affirm. non tantum quoad bona allodialia, sed et feudalia, quia nuspiam in iure feudali hoc uasallo ademtum. Nec obstat *1. F. 8.* ibi enim, ne de ipso feudo testetur, saltem interdictum. ROSENTH. *de feud. cap. 12. concl. 10. n. 11.* SCHRAD. *P. X. sect. 19. num. 6.*

13. *Sed quos testamento dabit tutores?*

Non tantum agnatos, seu in feudo successuros, sed quosuis etiam extraneos, de iure communi habiles, SCHRAD. *d. l. n. 14.* ubi *n. 61.* hoc in principibus quoque uerum esse asserit: quamuis exclusio agnati proximi in principibus parum consulta sit. IO. LEONHARD. A PVHEL. *de tut. elect. et princ. cap. 4. n. 47.*

14. *Licebitne idem electori quoad electoratum?*

Communis sententia est, tutelam testamentariam

riam in electoratu sibi non uindicare locum, sed mox legitimo tutori, seu proximo agnato, deberi tutelam ex dispositione *Aur. Bull. c.* 7. *§.* 2. quam sententiam imperatoris et plerorumque electorum uoto roboratam adstruit LIMN. *Iur. publ. Lib. I. cap.* 11. *n.* 103. *seqq.* Contrarium tamen defenderunt DIONYS. GOTHOFR. et MARQV. FREHER. *de tutel. elect.* Sane si per tutelam legitimam status electoralis in discrimen uocetur, non iniquum est ab ea recedere. OLDENBVRG. *ad Instrum. pac. Part. I. disc.* 25. *membr.* 2. *§.* 5.

15. *Annon uero in aliis ditionibus hereditariis testamento tutorem dare potest?*

Affirm. quia in illis cessat ratio A. B. uid. LIMN. *ad A. B. cap.* 7. §. 2. *Obs.* 24. qui quamuis quaestionem de curatore, non tutore, formandam esse dicat, cum bonis non detur tutor: *L.* 12. *D. de testam. tut.* attamen cum hic de diuersis prouinciis quaestio sit, non obstat ius ciuile. *L.* 15. *D. eod.*

16. *Quis in feudo est tutor legitimus?*

Is, ad quem successionis commodum pertinet: *arg. L.* 1. *pr. D. de legit. tutor.* soli ergo agnati, non cognati, tutores erunt. BRVNN. *ad Auth. sicut. C. de legit. tut.* SCHRAD. *d. l. n.* 34. Et ubi feuda sunt indiuisibilia, solus senior (quod in Saxonia generale est, CARPZ. *Part. II. const.* 11. *def.* 11. *n.* 1.) ex agnatis tutor erit, cum solus succedat.

ſuccedat. PÜHEL. *d. tr. c. 5. n. 6.* In principatibus agnatis tutoribus communiter adiungi ſolent conſiliarii tutelares, Vormundſchafts-Räthe. PÜHEL. *cap. 10. n. 60.*

17. *Sed annon prae ceteris agnatis matri et auiae tutela feudalis deferenda?*

Affirm. Quamuis enim hae ipſae in feudum non ſuccedant: cum tamen tutela ipſis non ratione ſucceſſionis, ſed affectionis, deferatur, a tutela feudali non excludendae; SCHRAD. *Part. X. ſect. 19. n. 26.* ROSENTH. *c. 12. concl. 10. n. 20.* quod in ducatu Megapolitano in feudis ſpeciatim receptum, teſte SCHRAD. *d. l. n. 27.* ubi *n. 28.* idem ad ducatus et principatus extendit ROSENTHAL. *d. l. n. 25.* PÜHEL. *c. 5. n. 22. ſeqq.* Tutorium Eleonorae Mariae, duciſſae Mecklenb. quae a. 1639. tutrix liberorum ab imperatore confirmata, exhibet ROMANVS *Diſp. de tutel. perſon. illuſtr. §. 21.* Plura exempla tutricum illuſtrium oſtendit ſubſcriptio *Receſſus imp.* de a. 1654. Aliud tamen in Saxonia quoad matrem obtinere, dicit CARPZ. *Part. II. conſt. 11. def. 11. n. 14.*

18. *Quid in ſimultanee inueſtito?*

Etiam hunc legitimum tutorem eſſe uolunt, ob certam ſuccedendi ſpem. SCHRAD. *d. l. n. 49.* Quod et in illis procedit, quibus ex pacto confraternitatis ſucceſſio debetur. PÜHEL. *d. tr. c. 5. n. 12.*

19. *Quid si uero uasallus relinquat bona allodialia et feudalia?*

Agnatus solus in feudalibus tutor erit; in allodialibus uero etiam cognatus, modo hic cum agnato sit in eodem gradu; tutela enim defertur secundum qualitatem successionis. SCHRADER. *d. l. n. 53.*

20. *An autem agnati promiscue ad tutelam uocantur?*

Neg. sed proximi tantum, et qui iustae aetatis sunt, quod et in tutore electorali procedere, probat LIMN. *ad A. B. c. 7. §. 2. θ. 26.* et qui a primo adquirente descendunt, aut simul inuestiti; in reliquis enim cessat successio. SCHRAD. *n. 64.*

21. *Ergone cognati numquam admittuntur?*

Eo casu admittuntur, quo in feudum succedere possunt, ut in feudo femineo, mere hereditario, uel si alias pacto ipsis prospectum. ROSENTHAL. *d. concl. 10. n. 29.*

22. *Quid si uero penitus nulli agnati adsint?*

Tutela feudalis ad dominum deuoluitur, exemplo legitimae patronorum tutelae; in allodialibus tamen, si cognati deficiant, alium tutorem dari posse, uult. SCHRAD. *d. l. n. 5.*

23. *Quid*

23. *Quid si omnes tutores legitimi deficiant?*

Tunc alius dandus est, SCHRAD. *n. 74.* et quidem a domino feudi immediato, cum ordinarii iudicis iurisdictioni feuda non subsint. SCHRAD. *n. 83.* Et sic principibus imperii tutorem dat imperator, uel camara imperialis, non austregae. BLVM. *Proc. cam. tit. 42. §. 11.*

24. *Sed an hic etiam allodialia administrabit?*

Neg. nisi uasallus etiam in allodialibus iurisdictioni domini feudi subsit. Alias quoad allodialia ordinarius iudex tutorem dabit. SCHRAD. *n. 98. sequ. et n. 166.*

25. *Quid si uero adsit dominus feudi mediatus et immediatus?*

Hic dabit tutorem, quia hic solus iurisdictionem feudalem in uasallum exercet. SCHRADER. *num. 94.*

26. *Quid iuris in bonis tutoris feudalis habet pupillus?*

Idem, quod in tutela allodiali, adeo ut et tutoris a domino feudi constituti boni feudalia in subsidium pupillo sint tacite oppignorata. STRVV. *cap. 14. th. 27. n. 3.*

27. *Quid iuris in curatore feudali?*

Idem, quod in allodiali, cum nihil hic diuer-

ſum ſtatutum, modo iudex curatorem dans uel confirmans, ratione feudi ſit competens. ROSENTH. *cap. 12. concl. 10. num. 46.* SCHRADER. *num. 159.*

28. *Ergo penitus circa curatelam nihil intereſt?*

Hoc remanſit; quod in allodialibus nullus ſit curator legitimus (excepta curatela furioſi, §. 2. *Inſt. de curat.*) cum agnatis neceſſario non debeatur ſucceſſio, ſed teſtamento a minori condito eadem auferri poſſit. In feudis uero, cum teſtamentum non ualeat, *1. F. 8.* et ita ſucceſſio agnatis adimi nequeat, legitimi hi curatores erunt; quamuis diſſentiat ROSENTH. *d. l. n. 48.* SCHRAD. *d. l. n. 138.*

29. *Quis uaſallo dabit curatorem ad litem?*

Ille iudex, ad quem litis cognitio pertinet. SCHRAD. *n. 165.* ROSENTH. *n. 50.*

30. *Poteſtne uero tutor uel curator feudalis ſe excuſare?*

Affirm. ex iiſdem cauſſis, quibus de iure ciuili, *tot. tit. D. de excuſ. tut.* modo excuſatio fiat coram domino feudi, uel, ſi ipſe dominus a tutela uaſalli ſe excuſare uelit coram paribus curiae. SCHRAD. *n. 96. et 98.* De excuſationibus principum imperii uid. PÜHEL. *de tut. elect. et princ. c. 11. n. 12. ſeqq.*

31. *In*

31. *In quonam consistit officium tutoris feudalis?*

Omnia ipsi expedienda, quae tutoribus aliis, quae ex iure ciuili repetenda, et prolixe eadem persequitur SCHRAD. *d. Part. X. sect. 20.* PÜHEL. *c. 10. n. 41. seqq.*

32. *Pubertas et minorennitas quot annis iure feudali includuntur?*

Deficit singularis dispositio; hinc obseruandum ius commune, *arg. 2. F. 1.* etiam in principibus imperii. PÜHEL. *d. c. 10. num. 9.* In principe electorali *per A. B. tit.* 7. statuti sunt 18. anni ad maiorennitatem consequendam, qui terminus etiam est in rege Sueciae: in rege Hispaniae sunt 20. anni: in rege Galliae 14. *Vid.* LIMN. *ad A. B. d. tit. obs. 28.* Imperatori nulla aetas praefinita; in electione tamen Iosephi regis administratio imperii ad annum 18. suspensa. *Cap.* IOS. *art. 47.*

CAPVT VIII.

DE REBVS IN FEVDVM DANDIS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Supra iam dictum, facultatem dandi feudum dependere ex facultate alienandi, cui consequens est, quod, quidquid alienari nequit, nec in feudum dari possit.

2. Quod si ergo res alienari quidem possit, at non facile, sed certis demum requisitis concurrentibus, tunc eadem requisita, quae ad alienationem, etiam quoad infeudationem, erunt necessaria.

3. Ex eodem fundamento sequitur, quod, quae re alienata transeunt in emtorem, illa quoque re infeudata transeant in uasallum, sicut exemplum est in pertinentiis.

1. *Quotuplices sunt res in genere?*

Duplices, uel corporales, uel incorporales; illae uel mobiles, uel immobiles; utraeque uel in commercio exsistentes, uel non; uel propriae, uel alienae.

2. *Quaenam res regulariter in feudum dantur?*

Immobiles, siue naturaliter, siue ciuiliter tales. Vid. *supr. cap. 2. qu. 17.* In re mobili uero feudum si constituatur, hoc degenerat in improprium. STRVV. *c. 6. th. 1.*

3. *Sed*

3. *Sed quid de mobilibus feudo cohaerentibus?*

Haec ſimul cum ipſo fundo inſtar acceſſorii in feudum data cenſentur: SCHRADER. *de feud. Part. III. c. 1. n. 19.* modo non nominatim ſint excepta. VVLT. *c. 5. n. 4.*

4. *An res extra commercium conſtitutae in feudum dari poſſunt?*

Neg. diſtingui tamen ſolet, an res unius commercio ſit exempta, an uero utriuſque. Hoc caſu plane in feudum dari nequit. Illo caſu aut eſt extra commercium uaſalli tantum, et ſic perinde in feudum dari nequit, aut domini tantum, et ſic ualet inueſtitura, et dominus ad aeſtimationem eſt obligatus, qua aliud feudum comparetur. *Arg. L. 34. D. de urb. oblig.* SCHRADER. *d. c. 1. n. 2.*

5. *An res eccleſiae in feudum dari poſſunt?*

Aut res Deo conſecratae ſunt, aut non. Illae uti inalienabiles, per §. *8. Inſt. de rer. diu.* ita in feudum dari nequeunt. STRVV. *c. 6. th. 3.* Haec uero, quae ad patrimonium eccleſiae ſpectant, exigente eccleſiae utilitate, in feudum dari poſſunt: STRVV. *th. 4.* ſed an ſine conſenſu capituli id liceat, uide *ſupr. cap. 5. qu. 4.*

 6. *Poſ-*

6. *Possuntne publicae res, uel uniuersitatis, in feudum dari?*

Neg. quia et illae commercio exemtae, et communi ciuium usui destinatae. STRVV. *c. 6. th. 5.* Aliud in rebus imperii uel uniuersitatis propriis, qualia in feudum dari possunt; nisi imperii uel uniuersitatis detrimentum concurrat. ANTON. *Disp. III. th. 3. litt. c.* STRVV. *d. l. th. 6.*

7. *Annon ergo princeps res publicas in feudum dare potest?*

Quatenus moribus respublicae in dominium principis redactae, nullum est dubium, eas a principe iterum alteri in feudum concedi posse; qualia exempla in iure piscandi in flumine, similibusque iuribus in feudum concessis.

8. *An res aliena?*

Affirm. quia hic dominium non transferendum. 2. *F. 8. §. fin.* Datur tamen uasallo ad euictionem actio, ut dominus uel aliud feudum det, uel nummos, quibus feudum comparari possit, soluat: 2. *F. 8 princ.* modo uasallus ignorauerit, rem esse alienam, nam scienti non succurritur; *d. text.* et modo domino feudi a uasallo lis denunciata fuerit; 2. *F. 25.* hoc enim non facto regressus cessat. STRVV. *cap. 6. th. 9. n. 5.* ANTON. *Disp. VII. th. 10. in fin.*

9. *Pot-*

9. *Poteſtne uero uaſallus de pecunia, quam euictionis nomine confecutus, libere diſponere?*

Neg. ſed eam praeciſe in alterius rei immobilis emtionem impendere, eamque a domino ut feudum recognoſcere debet. SCHRAD. *Part. V. cap. 6. n. 5.*

10. *An res communis in feudum dari poteſt?*

Affirm. quia et uendi poteſt, *l. 3. C. de comm. rer. alien.* et in dotem dari, *L. 6. C. de iur. dot.* ut et donari. *l. 12. C. de Donat.* Ergo etiam in feudum concedi poteſt; pro illa tamen parte, quam quis in re communi habet.

11. *An fundus dotalis?*

Neg. quia alienari nequit: *pr. Inſt. quib. alien. lic.* niſi fundus aeſtimato in dotem datus, quia ita dominium abſolute in maritum tranſit; *L. 5. C. de iur. dot. L. 10. ∫. 4. D. eod.* et hinc illum fundum tertio in feudum dare poteſt.

12. *An uniuerſitas rerum in feudum dari poteſt?*

Affirm. ut territorium, caſtrum, eine Herrſchaft, ein Ritter-Sitz; ubi cum principali re etiam acceſſoria et pertinentiae tranſeunt: STRVV. *cap. 7. th. 10.* niſi pertinentiae nominatim ſint exceptae. MEVIVS *Part. II. deciſ. 196.*

13. *An ergo in imperio cum territorio omnia regalia simul transferuntur?*

Affirm. nisi quaedam lege publica sint excepta, quorsum pertinet ius noui uectigalis, ius monetam cudendi, quae specialii priuilegio opus habent. ITTER. *c. 8. §. 13.*

14. *Quis probabit, has uel illas res ad pertinentias feudi spectare?*

Vasallus, qui petit has res ut pertinentias, nisi sit in possessione, ubi a probatione releuatur. VVLTEI. *cap. 5. n. 4. in fin.*

15. *Vnde uero probabitur, hoc uel illud ad pertinentias feudi spectare?*

Si probentur, coniuncta esse cum praedio; sola enim usurpatio singulorum non sufficit, (in petitorio scil. secus in iudicio possessorio), nisi quoque antecessores iisdem usi; in dubio domini concedentis declarationi hoc committendum. MEV. *d. Part. II. decis. 196.* GAIL. *Obseru. Lib. II. cap. 62.* SPEIDEL. *Specul. uoc.* Pertinenz.

16. *Sed an castro uel pago in feudum dato, etiam iurisdictio omnigena in feudum data censetur?*

Neg. quia haec a feudo separata, et alius pagum, alius iurisdictionem habere potest: STRVV. *d. th. 10. n. 4.* nisi tamen uel iurisdictio expresse simul concessa; uel iurisdictio et imperium illi cohaereat; ubi per consequentiam transit. LVDW. *p. 523.* VVLT. *cap. 5. num. 5.*

17. *An molendina in feudum dari poſſunt?*

Affirm. ſiue aquatica ſint, ſiue naualia, ſiue pneumatica; quae ad uentum ducuntur. *c. 23. X. de decim.* Illa enim ſine dubio ad res immobiles ſpectant; nec pneumatica mobilia ſunt, ſi motum totalem, ſeu tranſlationem de loco in locum attendas. Naualia quoque, niſi terrae alligata, uſum non praeſtant, inſuper etiam ius tale molendinum habendi ad certum locum reſtrictum. STRVV. *c. 6. th. 11. n. 5.* LVDW. *p. 251.*

18. *An Nobilis pro lubitu in ſuo fundo molendinum exſtruere poteſt?*

Aff. in electoratu Saxoniae, per conſtit. non edit. ZIEGLER. *de iur. maieſt. Lib. II. cap. 15. th. 32. ſeqq.* Neg. in Marchia Brandenburgica, niſi in ſpecie nobilis ille inueſtitus ſit mit der Mühlen-Gerechtigkeit.

19. *An ſilua?*

Affirm. ubi et arbores conceſſae uidentur; in his tamen caedendis ciuiliter ſe gerat uaſallus. LVDW. *p. 254.* Alias ſi deuaſtauerit ſiluam, pro publico damno hoc reputatur, et mandata ſine clauſula decernuntur. STRVV. *d. th. 11. n. 2.*

20. *Sed an cum ſilua ius uenandi tranſit?*

Negat hoc STRVV. *d. l. n. 3.* ſed quia uſufructuario competit, *L. 9. §. 5. D. de uſufruct. L. 62. pr. D. eod.* et adhuc pinguius ius habet uaſallus, quam uſufructuarius, uenationem quoque ei competere, iure feudali, uerius uidetur:

* LVDW.

LVDW. *p. 252.* nisi uel ius uenandi in illa silua alteri iam in specie fuerit concessum; uel consuetudo regionis maiores feras excipiat. ANTON. *Disp. III. thes. 4. litt. g.*

21. *An fructus pendentes in feudum dari possunt?*

Aff. et quidem sine dubio cum fundo, quia pars fundi sunt; *L. 44. D. de rei uind.* immo et sine fundo, ubi ius percipiendi fructus apud dominum remanet, ipsa uero realis perceptio ad uasallum transit. LVDW. *p. 250.* ANT. *Disp. III. th. 4. litt. i.*

22. *An in rebus ciuiliter immobilibus feudum constituitur?*

Affirm. quia in effectu pro immobilibus habentur, uid. *cap. 2. qu. 17.* et quidem, si res corporales mobiles sint, una cum re immobili in feudum conceduntur: uid. *qu. 3. h. c.* STRVV. *c. 6. th. 12.* incorporales uero interdum etiam solae, quatenus utilitas earum sine praedio esse potest. *Qu. 23. h. cap.*

23. *An actiones pro rebus immobilibus competentes in feudum dari possunt?*

Affirm. quia ex natura rei petitae hae actiones aestimantur, et ita pro immobilibus habentur; cum paria in iure nostro sint, actionem ad rem habere, uel rem ipsam. *L. 15. D. de reg. iur.* ANTON. *Disp. III. th. 5. litt. d.* LVDW. *p. 225.* Huc per-

pertinent annui reditus irredimibiles, unablößliche Renten.

24. *Poteritne uero feudum alii iterum a uafallo in feudum dari?*

Affirm. (quod fubfeudum appellatur, Germanis ein After-Lehen.) Ratio, quia ita domino nullum praeiudicium contingit, nam uafallus fubinfeudans uafallus manet; VVLTEI. *c. 10. n.* 77. STRVV. *c. 12. th. 10. n. 3.* de quo inferius *cap. 19.*

25. *An res incorporales feu iura in feudum dari poffunt?*

Affirm. et quidem uel cum praedio, cui cohaerent, uel fine praedio; modo feparatim utilitatem praeftare poffint, ut ius uenandi, iurifdictio, quae propterea etiam folitarie in feudum dari poffunt. SCHRADER. *Part. III. cap. 2. num. 59.* Vnde etiam in imperio noftro regalia in feudum dari poffunt ab imperatore illi, qui ftatus imperii non eft, nec feudum ab imperatore poffidet, fed tantum bona allodialia habet. ITTER. *c. 8. §. 31.*

26. *Quid uero confequitur uafallus, fi iurifdictio ipfi fimpliciter in feudum conceffa?*

Regulariter faltem inferior, feu mixtum imperium conceffum effe uidetur, Germ. die Unter-Gerichte, STRVV. *c. 6. th. 8. num. 4.* licet merum quoque imperium ita comprehendi uelit CARPZOV.

PZOV. *Part. II. const. 40. def. 6.* quod et moribus tunc admitti potest, si uox *omnimoda* sit addita, mit allen und jeden Gerichten. *Vs. mod. D. tit. de iurisdict. §. 13.*

27. *Quid si uero tum castro concessa iurisdictio?*

Illa concessa uidetur species, quae hactenus castro cohaesit, uel quam antecessores exercuerunt.

28. *An concessa iurisdictione in feudum, illa priuatiue, uel cumulatiue concessa?*

In dubio priuatiue, scil. ratione exercitii; summa tamen iurisdictio, quatenus superioritatis territorialis nomine uenit, ita non amissa, sed subordinate tantum iurisdictio concessa, saluo semper recursu ad superiorem: STRVV. *d. th. 18. n. 5.* et hoc quidem uel per uiam appellationis, uel querelae de denegata iustitia.

29. *An seruitus in feudum recte datur?*

Quatenus immobilibus adhaeret: ANTON. *d. th. 5. litt. c.* separatim uero, uti possideri non potest, *L. 10. §. 1. D. de usucap.* ita nec in feudum dari.

30. *An etiam regalia?*

Affirm. de quibus *cap. sequ.* In genere omne illud ius, quod utilitatem singularem praestat, et ex concessione superioris dependet, in feudum dari potest. Et sic etiam ius carnificinae, (die Scharfrichterey und Abdeckerey,) in feudum alicubi

cubi

cubi concedi ſolet; quale exemplum in principatu Halberſtadienſi notorium.



CAPVT VIIII.
DE
REGALIBVS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Regalia quidem originetenus illa dicuntur iura, quae regi ob eminentiam reſeruata ad adminiſtrandam et conſeruandam remp. ſucceſſu temporis autem etiam illa iura, quae priuatis competebant, nec cum reip. commodo quidquam commune habebant, poſtquam priuatis ademta, et ſolis principibus aſſerta, regalium appellatione ueniunt. Vnde in una prouincia ius aliquod regale eſſe poteſt, quod alibi promiſcue omnibus patet.

2. Cum autem illa regalia uel ad adminiſtrandam rem publicam tendant, uel ad illam conſeruandam: inde iſta dicuntur *maiora*, haec *minora*, ſeu *regalia fiſci*, quia in compendiis pecuniariis conſiſtunt.

3. Quaecumque autem regalia ita comparata, ut a priuato exerceri poſſint, illa etiam per inueſtituram in ipſos conferri, aut praeſcriptione immemoriali adquiri poſſunt.

1. *Quae ſunt* regalia?

Sunt iura ſummo principi in ſignum ſupremae poteſtatis ad reip. dignitatem et utilitatem tuendam competentia. ANTON. *Diſp. III. th. 6. litt. b.* LVDW. *c. 13. pr.* Germ. Herrlichkeiten.

2. *Quo-*

2. *Quotuplicia ſunt regalia generaliter accepta?*

Communiter duplicia faciunt: *maiora*, quae ad dignitatem, et *minora*, quae ad utilitatem reip. pertinent.

3. *Quaenam ſunt* maiora?

Quae perſonam et dignitatem principis et adminiſtrationem reipubl. concernunt, ut collatio dignitatum regalium, fundatio academiarum, poteſtas ferendi leges, in cauſſis eccleſiaſticis et ſaecularibus, ius belli et pacis, cet. Et haec alias iura maieſtatis dicuntur.

4. *Quae ſunt* minora?

Quae reipubl. utilitatem et fiſcum potiſſimum reſpiciunt, et haec tantum recenſeri uolunt in *cap. un. quae ſint regalia 2. F. 56.* Et de his ſaltem hoc cap. agemus: maiora enim ex politicis repetenda, de quibus uid. omnino ZIEGLER. *de iurib. maieſtat.* EINSIDEL. et ARNISAEVS. *de regalibus.*

5. *Quid ibi intelligitur per* ius armandiae?

Ius percipiendi certum uectigal ab illis, quibus licentia armorum faciendorum conceſſa; *tit. C. de fabricenſ.* uel ius habendi fabricas et publica armamentaria, quod ſoli principi competit. VVLT. *cap. 5. n. 7. p. 84.* ANTON. *d. Diſp. III. th. 7. litt. b.* TABOR. *Armament. cap. 4. th. 3.* Sed poſte-

posteriori casu ad maiora potius regalia hoc ius referendum, utpote cum iure belli connexum. Male uero uectigal, ex armentis seu pecudibus praestari solitum, sub hoc regali intelligunt, quod facit MATTH. *de* AFFLICT. *ad* 2. *F.* 56.

6. *Quodnam est ius uiarum publicarum?*

Est ius supremam iurisdictionem ac dominium in uiis publicis exercendi, reditusque inde percipiendi, ad promouendam earum securitatem. Dicuntur alias uiae dominicae, uel militares, freye Heer = oder Land = Strassen. ANT. *d. l. litt. c.* ROSENTH. *cap. 5. concl. 20.* FRITSCH. *de regal. uiar. publ. iure.*

7. *Quodnam est regale fluminum publicorum?*

Est ius disponendi de flumine nauigabili, uel aliud nauigabile efficiente, et iurisdictionem in eo exercendi, pariter ac de uiis dictum. ROSENTH. *concl.* 23.

8. *Quomodo portus ad regalia referunt?*

Eodem iure, quo flumina, cum portus et fluminis eadem sit conditio: *L. 4. in fin. D. de rer. diu.* quid uero sit *portus*, *uide in L. 59. D. de uerb. signif.* Ceterum non tantum ratione iurisdictionis, sed et uectigalis, quod ex portu consequitur princeps, portus ad regalia spectat. BOCER. *de regal. cap. 3. n. 131.* ROSENTH. *concl. 31.* BEYER. *ad* SCHNOBEL. *Disp. feud. IIII. th. 25.*

H 9. *Quae*

9. *Quae sunt* ripatica?

Sunt uectigalia pro transitu riparum praestanda; uel sumuntur etiam pro traiectus iure, die Fehr-Gerechtigkeit. ANTON. *d. l. litt. f.* Ripae ipsae cum ad priuatos spectent, ad regalia referri nequeunt, nisi forte quoad dispositionem circa earum usum. ROSENTH. *concl. 32.*

10. *Quale est regale uectigalium, uel telonii?*

Est ius exigendi de rebus inuectis uel euectis certum pretium, ob defensionem uiarum, et ferenda reip. onera. ROSENTH. *concl. 33.* Cuius uectigalis uariae dantur species, pro diuersitate caussae, uel rerum, ob quas uectigal penditur.

11. *Potestne imperator pro lubitu noua uectigalia statui alicui concedere?*

Neg. adeo, ut plura electorum uota amplius non sufficiant, sed omnes consentire debeant, auditis quoque statibus uicinis. *Cap.* LEOP. *Art. 2.* Vid. *infr. qu. 24.*

12. *Quidnam est regale* cudendae monetae?

Est ius monetam in rei publicae usum fabricandi, quod ad regalia maiora ab aliis non male refertur. ROSENTH. *concl. 48.* Ab imperatore sine consensu electorum non potest concedi; *Cap.* LEOP. *Art. 34.* nec hoc ius cohaeret superioritati territoriali. MYLER. *de statib. imper. c. 7. §. 3.*

13. *Ad*

13. *Ad quem pertinent multae?*

Ad illum, qui ius fiſci habet; hodie uero ad illum, cui merum imperium conceſſum, quatenus multa pro delicto irroganda: multa uero contumaciae ad quemuis iudicem pertinet. BRVNNEM. *ad tit. C. de mod. multar.*

14. *Quaenam ſunt bona uacantia?*

Quae heredem non habent, *L. fin. C. de bon. uac.* quae iure communi ad fiſcum pertinent. Moribus Saxonicis omnis ciuitas, quae merum imperium habet, eadem ſibi uindicat, quod aliqui generale eſſe uolunt. Vid. *Tr. noſtr. de ſucceſſ. ab inteſt. Diſp. V. cap. 1. ſ. 10.*

15. *Quorum bona alias ſibi fiſcus uindicare poterit?*

Hoc pete ex *tit. D. de his, quib. ut indign. et tit. de bon. damnat.* Conf. PEREGRIN. *de iur. fiſc.*

16. *Quae* angariae *et* parangariae?

Sunt onera patrimonialia, conſiſtentia in praeſtatione iumentorum ad curſum publicum: STRVV. *cap. 6. th. 25.* ANTON. *th. 8. litt. a.* et in hoc inuicem differunt, quod *angariae* per publicam et ordinariam uiam; *parangariae* uero etiam per alias uias ob incidentes neceſſitates praeſtentur. STRVV. *d. l.* LVDW. *p. 273.* Et ſic quoque plauſtrorum et nauium praeſtationes huc ſpectant. In imperio huc referri poteſt inueſtitura de iure poſtarum, quo gaudet comes de Taxis,

xis, cui, ne praeiudicetur, prouisum est *Cap.* IOSEPHI, *Art. 34.*

17. *Quae sunt* argentariae?

Sunt certi reditus ex argenti uel metallifodinis fisco praestandi, ANT. *d. l. litt. d.* uel sunt ipsum ius habendi metallifodinas: VVET. *c. 5. n. 7. p. 88.* Conf. *A. B. c. 9.* Nam ad principem nouiter repertae fodinae spectant, nec priuatis, citra concessionem principis, ne quidem in proprio fundo, mineralia, praesertim pretiosiora, inquirere licet. STRVV. *c. 6. th. 26. n. 4.* Hodie ob impensas priuatis illas concedunt, reseruato sibi canone metallario, de quo *L. 1. C. de metallor.*

18. *Quid est* ius palatiorum?

Est facultas inhabitandi uel aedificandi regia palatia, quod nemini, nisi principi, uel, cui is concessit, permissum. VVLT. *d. l.* Alii uero per *palatia* intelligunt *praetoria*, ut ita ius palatiorum sit ius habendi tribunal publicum, in quo ius reddatur. KNICH. *de iur. territor. cap. 3. n. 276.* Vtrumque hic intelligi posse, putat FRITSCH. *de palat. princ. cap. 8. n. 15.* In specie ius habendi arcem munitam, quorsum pertinent die Schloßgesessene von Adel.

19. *Qua ratione* salinae *ad regalia referuntur?*

Non saltem uectigal salinarium ad regalia spectat, sed et ipsae salinae; quod de salinis in publico

blico loco inuentis extra dubium eſt. SIXTIN. *de regal. cap. 19. n. 12.* Sed moribus (quamuis ſecus iure Romano, *L. 4. §. 7. D. de cenſib.*) idem obtinet etiam in illis, quae in priuato loco inueniuntur. FRITSCH. *de regal. ſalin. iur. cap. 2. n. 8.* Et inde has ſalinas per modum feudi priuatis concedi, ita, ut ad maſculos ſaltem tranſeant, certum eſt. FRID. HONDORFF. *de ſalin. Hallenſ. cap. 23.*

20. *Quorſum ſpectat* ius collectarum?

Ad regalia minora, nam pecuniarium continet commodum, et cum iure uectigalium comparatur. LVDWELL. *p. 274.* Huc etiam pertinet collatio ad regalis numinis expeditionem, quando ob extraordinariam neceſſitatem collecta indicitur. ANTON. *Diſp. III. th. 8. litt. h.* Quorſum referri poteſt der Römer-Zug, FREHER. von Römer-Zug, BOCER. *de collect. cap. 12.* quae expeditio Romana ad petendam coronam imperialem poſt tempora Caroli V. neglecta. Olim uero imperatorem comitabuntur 20000. pedites, et 4000. equites, et quando hodie in imperio tributa colligenda, illa adhuc indici ſolent, nach dem Anſchlag der Römer-Monate. Vid. REINKING. *de regim. ſaecul. et ecclef. Lib. I. cl. 3. cap. 8. n. 28.*

21. *Annon* ius uenandi *etiam ad regalia ſpectat?*

Affirm. *2. F. 56.* ibi: *piſcationum reditus:* ſub piſcatione enim uenatio et aucupium ſubintelligitur:

gitur: BRVCKMANN. *de reg.* §. *uenatio*, *num.* 5. quae ſententia moribus Germaniae hodiernis expedita eſt. ROSENTH. *concluſ.* 94. *n.* 6. Vid. tamen *praefat.* noſtram ad FRITSCHII *Corpus iuris uenatorii.*

22. *Si quis cum iure uenandi inueſtitus, quid ipſi conceſſum cenſetur?*

In dubio ſaltem ius capiendi feras minores, die niedere Jagten; uenatio maior ergo non cenſetur conceſſa, niſi in litteris inueſtiturae expreſſa. WEHNER. *Obſeru. pract. uoc.* Forſt-Recht.

23. *Poſſuntne omnia regalia in feudum dari?*

Affirm. modo ab illo commode exerceri poſſint, cui conceſſa. Et quamuis regalia maiora iuribus maieſtatis comparentur; maieſtas uero diuiſionem non recipiat, nec iura ab ea ſeparari poſſint: diſtinguendum tamen inter ipſum ius, et exercitium huius iuris; hoc alteri concedi poteſt, ut eodem utatur dependenter; illud uero penes principem remanet. STRVV. *cap.* 6. *th.* 13. *n.* 2.

24. *Poteſtne uero imperator ſtatibus pro lubitu concedere regalia?*

Regulariter poteſt, niſi ratione huius uel illius iuris certa reſtrictio per leges imperii adiecta, e. gr. cum nouis uectigalibus aliquem inueſtire non poteſt, etiamſi hodie maxima electorum pars conſenſerit, *Capit.* LEOPOLD. *Artic.* 21. ſicut

ut dixi *quaest. 11.* Porro nec ius monetandi concedere potest sine consensu Electorum: *Capitul.* LEOPOLD. *Artic. 25.* ubi additur, quod hoc priuilegio abutens eo priuari debeat.

25. *Possuntne principes imperii nobilibus iterum regalia concedere?*

Affirm. sed haec talia esse debent, quae superioritatem territorialem non requirant, et sic commode ab ipsis exerceri possint: quamuis ita non nomine regalium, sed priuilegii potius, ueniant. STRVV. *d. l. n. 3.*

26. *Quid si regalia simpliciter in feudum concessa?*

Minora saltem censentur concessa, ROSENTHAL. *cap. 5. conclus. 13. num. 11.* quod si dictum esset: *omnia regalia*, etiam maiora concessa censeri, uult LVDW. *Synops. pag. 280.* quod dubium, cum haec speciali expressione opus habeant, nisi qualitas feudi aliam praesumtionem inducat, e. gr. si sit territorium imperii immediatum.

27. *An certorum regalium concessio ad similia extendenda?*

Neg. *arg. L. 8. §. 11. D. de Instruct. uel instr. leg.* BOCER. *de regal. cap. 4. n. 9.* Priuilegia enim ex sui natura ultra uerba expressa non extendenda.

28. *Quid uero, si addita sit clausula:* cum omnibus aliis?

H 4 Tun

Tunc ea ſubintelligenda, quae cum nominatis regalibus eiuſdem qualitatis ac generis ſunt. *d. L. 18. §. 12. D. de inſtruct. uel inſtrum. leg.* BOCER. *de regal. cap. 4. n. 8.* LVDW. *p. 281.* Quod et ſi certi actus iuriſdictionis expreſſi ſint, procedit. Vid. ZOES. *ad D. tit. de iuriſdict. n. 32.*

29. *An uero regalia in dubio cumulatiue, an priuatiue, cenſentur in feudum conceſſa?*

Affirm. poſterius, quoties ſcil. uſus regalium ratione uaſalli per uſum principis impeditur; ROSENTH. *cap. 5. concluſ 15.* cenſetur enim feudum uſuffructus iure: 2. *F. 23.* proprietarius uero uſufructuarium in perceptione utilitatis impedire non poteſt. CARPZ. *Part. I. conſt. 27 def. 11.* RHET. *Comm. iur. feud. p. 149. n. 11.* Vnde falſa eſt ueterum hypotheſis: *ubi imperator praeſens eſt, ibi quieſcit iuriſdictio principum.* ITTER. *cap. 8. §. 8.* SCHWEDER. *Iur. publ. part. ſpec. ſect. 2. cap. 10. ſ. 8.* Saluus tamen ubique recurſus ad ſuperiorem; quamuis imp. querelas ſubditorum contra principes non facile audire, ſed primum litteras informatorias petere teneatur. *Capitul.* LEOP. *Art. 3. et 7. Rec. imp. de a. 1654. ſ. 105.*

CAPVT

CAPVT X.

DE SERVITVTIBVS FEVDO IMPOSITIS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Cum utile dominium feudi in uasallum translatum sit: hinc omne, quidquid ad promouendam utilitatem eius pertinet, ipsi facere licet; non quae tendunt ad feudi detrimentum. Inde seruitutem feudo adquirere, sed illam imponere non potest.
2. Cum uero seruitutis impositio sit species alienationis: inde, si seruitus perpetua feudo imponenda, illorum consensu opus est, qui in alienationem consentire debent, scil. domini et agnatorum.
3. E contrario, quia de utilitate feudi uasallus, quamdiu ipse aut liberi eius uiuunt, disponere potest sine consensu domini: sequitur, quod eousque etiam seruitutes imponere ualeat.

1. *An seruitus in feudum dari potest?*

Affirm. cum praedio. Vid. *cap. 8. qu. 32.* Immo, si praedium feudo uicinum sit principis, potest hic uasallo in inuestitura simul ius certum seruitutis in feudum dare, e. gr. er soll zugleich mit der freyen Trift auf den benachbarten Amts-Feldern belehnet seyn.

2. *An uasallus seruitutem feudo adquirere potest?*

Affirm. *2. F. 28. §. si uasallus*, etiam inscio domino,

mino, quia feudi conditionem ita meliorem reddit, quod libere facere poteſt. 2. *F. 8. ʃ. e contrario.* BITSCH. *ad d. text. p. 259.*

3. *Sed an ſeruitutem imponere poteſt?*

Neg. quia deterius feudum redderet. Ergo domini, et in feudo antiquo etiam agnatorum conſenſus neceſſarius erit. *d.* §. *e contrario.*

4. *Poteſtne dominus conſentiente uaſallo feudo ſeruitutem imponere?*

Negandum uidetur, ob textum in *L. 15. ʃ. fin. D. de uſufr.* cuius ratio, quia ſeruitutis impoſitio eſt ſpecies alienationis; qui uero alienare non poteſt, nec poteſt alienanti conſentire. *L. 165. D. de reg. iur. Conf.* BRVNNEM. *Exerc. VII. ad Inſt. tit. 3. ʃ. 3.* Sed non puto, hanc ſubtilitatem in iure feudali attendi, cum nec perpetuum ab uſufructu ad feudum ſit argumentum. LVDW. *Synopſ. feud. pag. 305.* Immo hodie etiam qualiacumque pacta honeſta per ſe ſubſiſtunt, quamuis ciuili iure exinde non data fuerit actio; modo tamen feudum nouum ſit: alioqui enim et agnatorum conſenſus eſt neceſſarius, ſi feudo ad hos deuoluto ſubſiſtere debeat.

5. *An uero plane inutilis eſt Seruitutis conſtitutio a Vaſallo facta?*

Non; ſed quoad dies uitae Vaſalli filiorumque eius ea ualet, Vaſallo uero defuncto iterum exſpirat, et ſic nec Domino, nec agnatis nocet. LVDW.

LVDW. *p. 304.* STRVV. *c. 12. th. 8. n. 3.* nisi agnati simul heredes Vasalli existant, ubi factum defuncti Vasalli praestare, et seruitutis usum concedere tenentur.

6. *Adestne autem sic uera seruitus?*

Neg. Sed ius quoddam seruituti simile; seruitutes enim praediorum ad tempus constitui non possunt, *l. 4. ff. de seruitut.* immo magis illa seruitus a persona, quam praedio dependet, quod pariter contra naturam seruitutis. BITSCH. *Comment. feud. p. 257.*

7. *Quid, si per sententiam iudicis alicui in feudo assignata fuerit seruitus?*

Subsistit tunc seruitus, etiam in praeiudicium domini, modo uasallus in fraudem domini nihil egerit, *2. F. 43.* STRVV. *d. l.* h. e. cum aduersario non colluserit, quo pro seruitute pronuncietur: RITTERSHVS. *Lib. II. cap. 1. quaest. 9. in med.* modo tamen iudex ratione feudi competens fuerit.

8. *An, si quis seruitutem a uasallo constitutam longo tempore possedit, per hoc eam legitime adquisiuit?*

Viuente uasallo praescriptio locum non habet, cum domino et agnatis interim agendi ius nullum competierit. Post mortem uero illius, si agnati legitimo tempore seruitute alterum uti patiantur, praescriptione seruitus introducta est. ROSENTH. *cap. 9. membr. 1. concl. 11. n. 4.* Longum

gum uero tempus in iure feudali eſt. 30. annorum. Vid. *qu. 7. cap. ſeq.*

9. *An uaſallus ſeruitutem debitam remittere poteſt?*

Non, niſi itidem quoad dies uitae et filiorum tantum; agnatis enim praeiudicare nequit, etiamſi longiſſimum tempus interceſſerit, ROSENTH. *d. l. n. 10.* multo minus domino, niſi conſenſerit.

10. *Qua actione uindicat uaſallus ſeruitutem feudo debitam?*

Non utili rei uindicatione, qua ipſum praedium feudale uindicat, *2. F. 8.* ſed actione confeſſoria utili. FRITSCH. *Comm. feud. p. 257.*

11. *Quomodo uſuſfructus a feudo differt?*

Reſponſionem uide *ſupr. cap. 2. qu. 13. et 14.*

12. *Poteſtne uaſallus uſumfructum in re feudali conſtituere?*

Neg. quia uſuſfructus conſtitutio eſt ſpecies alienationis. *L. fin. C. de reb. alien. non alienand.* LVDWELL. *pag. 305.*

13. *Sed annon quoad dies uitae uſuſfructus ualebit?*

Nec hoc admittit LVDW. *d. l.* quia commode ſeruitia praeſtare nequiret; ſed uerius contrarium: nam uaſallus aliunde bona habere poteſt, unde ſeruitia praeſtet. Hinc dicendum, quod quidem ipſo iure utilis dominii uaſallus ſe non abdica-

abdicare, facultatem tamen percipiendi fructus ex feudo ad alium transferre, possit. ROSENTH. *d. c. 9. membr. 1. concl. 10. n. 5.* Vnde et in feuda ratione fructuum immissio fieri potest ob aes alienum uasalli, STRVV. *c. 12. th. 7. n. 2. et 4.* quamuis dominus feudi non consenserit.

14. *Quis uero tunc praestabit seruitia feudalia?*

Tantum uasallo debitori ex fructibus relinquendum, ut inde seruitia feudalia praestare possit. KOHL. *de seruit. feudal. Part. I. n. 78.* CARPZ. *Part. II. const. 25. defin. 5.* Alias a possessore exiguntur seruitia.

15. *An patri competit usus fructus in feudo a filio adquisito?*

Neg. partim ob aequitatem, quia alias filius in effectu nihil ex feudo haberet, cum tamen seruitia ab eo praestanda, LVDW. *p. 303.* partim ob qualitatem seruitiorum, quae regulariter militaria sunt, ut sic feudum ad peculium castrense sit referendum, non ratione militiae praeteritae, tamen futurae, cuius intuitu feuda dantur. VVLT. *cap. 4. n. 8.* STRVV. *cap. 5. th. 15. in fin.* Immo et donata a principe pleno iure ad filium pertinent. *L. 7. C. de bon. quae lib.*

16. *Quid si re in feudum data, et eius parte alteri in usumfructum concessa, usus fructus exstinguatur, ad quem spectabit?*

Ad

Ad uaſallum, non ad dominum, quia cum re conſolidatur; rei uero utile dominium ad uaſallum deuolutum, ergo et uſuſfructus. ROSENTHAL. *cap. 10. concl. 44. n. 3.*



CAPVT XI.

DE PRAESCRIPTIONE FEVDI.

GENERALIA CAPITIS.

1. In materia praeſcriptionis feudi ſequentes ſeparandi ſunt caſus: aut enim de feudo iam conſtituto a tertio praeſcribendo agitur, ita, ut maneat feudum; agitur de feudo ita praeſcribendo, ut fiat allodium; aut de allodio ita praeſcribendo, ut fiat feudum.

2. Primo caſu, quia omnis praeſcriptio ſe fundat in alienatione tacita, illorum tacitus conſenſus hic neceſſarius eſt, qui alias expreſſe in alienationem conſentire debent. Vnde praeſcriptio uiuente uaſallo completa non nocet agnatis.

3. Secundo caſu toties ex feudo fit allodium, quoties uaſallus, rem allodialem eſſe exiſtimans, domino ſeruitia petenti, illa negat, et ita rem libere per 30. annos poſſidet.

4. Quoties uero quis de re ſua allodiali, putans illam feudalem eſſe, alteri ſeruitia praeſtat per 30. annos, toties ex allodio fit feudum.

1. *Quotu-*

1. *Quotupliciter praescriptio in feudis consideratur?*

Dupliciter, uel ratione uasalli, si dominium utile, uel ratione domini, si dominium directum in re aliena praescripserit. STRVV. *cap. 8. th. 12. n. 2.* et his modis per praescriptionem ex allodio fit feudum.

2. *Poteftne uero per praescriptionem dissolui feudum?*

Aff. si uel uasallus in re feudali dominium directum praescripserit, de quo uid. *qu. 17.* uel dominus praescripserit dominium utile. Vid. *infr. qu. 20.*

3. *Quomodo uero uasallus praescriptione feudum adquirit?*

Si rem quamdam alienam ut feudalem per 30. annos possederit, et seruitium alteri, cuius res erat, tamquam domino exhibuerit. *2. F. 26. §. si quis per 30. cet.* LVDW. *p. 172.*

4. *Qualis ergo possessio requiritur?*

Vt rem quasi feudalem, quam ex iusta uel probabili caussa talem esse credit, possideat; secus, si ut propriam, quia ita qualitas feudalis cessaret; secus etiam, si ut pignus; iuri enim reluendi nullo tempore praescribitur, *L. 10. C. de pignorat. act.* Vid. ZOES. *ad D. tit. de pign. act. n. 18.* ex qualitate enim possessionis iudicatur qualitas praescriptionis.

5. An

5. *An possessio debet esse continuata?*

Affirm. ob particulam, *per*, in *dict.* §. 2. *F.* 26. Prodest tamen possessio defuncti etiam successori, modo hic inuestituram post mortem praedecessoris petierit: 1. *F.* 24. *pr.* ANT. *Disp.* 50. *th.* 3. *litt.* *f.* alias enim successor a sua persona tempus 30. annorum inchoabit; nam sine inuestitura non continuatur possessio feudalis. Tanto autem tempore etiam iuri domini, quod ob non petitam inuestituram habebat, praescribitur.

6. *Quantum tempus ad praescriptionem feudi requiritur?*

Triginta annorum, *d.* §. 2. *F.* 26. quod ipsum tempus computandum ab eo die, quo seruitia praestitit uel exhibuit. ROSENTH. *cap.* 6. *concl.* 78. *n.* 2. Et idem tempus etiam iure Saxonico sufficere uult SCHRADER. *de feud. Part. V. cap.* 4. *n.* 28. licet ibi alias in immobilibus adhuc annus et dies requiratur.

7. *An ergo decem uel uiginti annorum praescriptio non sufficit?*

Non, cum Langobardi aliam praescriptionem, quam triginta annorum, non agnouerint. LVDW. *p.* 174. STRVV. *cap.* 8. *th.* 12. *n.* 3. Hinc, si in aliis iuris feudalis textibus Langobardicis, praescriptionis longi temporis mentio fiat, hoc de triginta annis explicandum. VVLT. *cap.* 9. *num.* 5. Dissentit SCHRADER. *Part. V. cap.* 4. *n.* 3. qui in feudo

feudo bona fide emtio praeſcriptionem 10. uel 20. annorum admittit.

8. *Sed quid in praeſcriptione feudi eccleſiaſtici?*

Hic quadragenaria praeſcriptione opus eſſe communiter uolunt, ob *Nou. CXI. et CXIII.* ubi illa in rebus eccleſiae locum habere dicitur, quod iure feudali non aliter deciſum. STRVV. *cap. 8. th. 12. num. 3.* MYNSING. *Cent. IIII. obſ. 29.* Sed diſtingui poteſt inter praeſcriptionem rei eccleſiaſticae qua talis, et qua feudalis; illo caſu 40. anni ſunt neceſſarii, hoc caſu non, quia hic proprietas eccleſiae manet ſalua. VVLT. *cap. 9. n. 8.* LVDW. *pag. 175.* Immo utilitas quoque ad eccleſiam redire poteſt finito feudo; ſed priori caſu res in perpetuum eccleſiae aufertur.

9. *An uero bona fides ad praeſcriptionem feudi eſt neceſſaria?*

Iure ciuili praeſcriptio tricennalis eam non requirit. *L. 8. ſ. 1. C. de praeſcript. 30. ann.* Cum uero hodie hoc caſu ius canonicum attendamus, quod in omni praeſcriptione bonam fidem requirit: *cap. fin. X. de praeſcript.* etiam in praeſenti quaeſtione bona fides non negligenda. VVLT. *Lib. I. cap. 9. n. 15.* LVDW. *p. 173.* ROSENTHAL. *cap. 6. concluſ. 77. num. 9.* Quamquam tanti temporis lapſu bona fides praeſumatur, ut eapropter malam fidem allegenti probatio incumbat. STRVV. *cap. 8. th. 12. n. 3.*

10. *Quare seruitiorum praestatio est necessaria?*

Vt de animo constet, an rem ut feudalem possidere voluerit, et ut res in notitiam domini ueniat, ne ei ignoranti uasallus obtrudatur.

11. *Sed an realis praestatio seruitiorum requiritur?*

Neg. sed sola seruitiorum exhibitio sufficit, licet realiter non praestiterit. *Arg.* §. *si quis* 2. *F.* 26. ibi: *exhibuerit.* Modo tamen uasallus in mora non fuerit, quo minus seruitia exhibita simul etiam praestaret. VVLT. *cap.* 9. *n.* 15. Et modo dominus seruitiis exhibitis non contradixerit.

12. *Quoties seruitia exhibita esse oportuit?*

Sufficit, etiamsi semel tantum intra 30. annos factum: nam ut singulis annis fiat, opus non est. MYNSING. *Cent. IIII. obs.* 29. ANTON. *Disp. V. th.* 3. *litt. b.*

13. *An titulus ad praescriptionem feudi necessarius?*

Neg. nam patientia domini possessionem non adimentis, sed seruitia admittentis, est loco tituli et inuestiturae, 2. *F.* 33. *pr.* STRVV. *cap.* 8. *th.* 12. *n.* 3. *in fin.* et hoc quoad qualitatem feudalem adquirendam sufficit: ipsam tamen rem sine uitio nactus esse debuit uasallus. Immo, si uasallus contra uasallum praescribere uelit feudum, titulo utique opus est.

14. *An*

14. *An itaque inueſtiturae probatione hoc caſu opus eſt?*

Neg. quoad inueſtituram primam, quae per praeſcriptionem tricennariam praeſumitur; heres uero, ſi intra 30. annos deceſſerit dominus, uel uaſallus, inueſtituram ipſe petere, eamque probare debet; VVLT. *cap. 9. n. 15.* alias enim coniungere tempora antecèſſoris non poſſet.

15. *Sed eſtne feudum, quod per praeſcriptionem quaeſitum, proprium?*

Affirm. quia licet inueſtitura hic non interceſſerit, praeſcriptio tamen id operatur, ut re uera inueſtitura interceſſiſſe praeſumatur; comparatur enim praeſcriptio inueſtiturae; SCHRADER. *Part. VII. cap. 4. n. 15.* quae ficta inueſtitura ob auctoritatem iuris idem operatur, quod uera. STRVV. *cap. 8. th. 12. n. 1.* Ergo filiae hic non ſuccedunt.

16. *An, qui de re aliena alium inueſtit, praeſcribere illam rem poteſt contra uerum dominum?*

Affirm. non quidem ut feudum, quia ita inueſtiens illam rem non tenuit; ſed ut rem allodialem, ſi reliqua uſucapionis requiſita ex iure ciuili concurrant, ut ſic hoc caſu decem anni ſufficiant. STRVV. *d. l. n. 4.* Poſſeſſio autem inueſtientis per inueſtitum continuatur.

17. *An uasallus directum feudi dominium praescribere potest?*

Affirm. scil. ut ex feudo postea fiat allodium; si dominus intra 30. annos seruitia, quibus opus habebat, exegerit, sed uasallus contradixerit, et sic rem non ut feudalem, sed ut allodium, posse- derit. LVDW. *cap. 8. p. 177.*

18. *Quid uero requiritur, si uasallus feudum, ut allodium, praescribere uelit?*

Vt possessionem domini bona fide interuerterit uasallus, e. g. seruitia denegando, uel, se uasallum esse, negando. Citra tale factum enim possessionis caussam sibi mutare non potest. STRVV. *cap. 15. th. 3. n. 5.* Et quamdiu ut uasallus possidet, numquam contra dominum praescribit. LVDW. *d. p. 177.*

19. *An aliquis directum dominium in re aliena praescribere potest?*

Affirm. si dominus allodialis de re sua libera alteri per 30. annos seruitia praestiterit, et hic eadem acceptauerit, quo tempore hic sibi dominium directum in re aliena quaesiuit, et uerum rei dominum sibi uasallum fecit. LVDW. *p. 176.* ANT. *Disp. V. th. 3. litt. i.* Debet tamen illa praestatio seruitiorum fuisse determinata ratione certi praedii. SCHRAD. *Part. V. cap. 4. n. 14.*

20. *An dominus utile dominium contra uasallum praescribere potest?*

Affirm. si rem iure pleni dominii, tacente et non

non contradicente uasallo, per 30. annos possederit, ob naturam correlatiuorum. STRVV. *cap. 15. th. 3. n. 4.*

21. *Quid uero, ut hoc procedat, requiritur?*

Praeter tempus legitimum, scil. 30. annorum, requiritur, ut dominus feudi possessionem ex iusta caussa acceperit; absque possessione enim praescriptio procedere non potest. *L. 3. D. de usucap.* Deinde ut continuo possederit sine agnatorum contradictione; alioqui enim interrumperetur praescriptio. LVDW. *p. 176.* VVLT. *cap. 9. n. 17.*

22. *An uero, si uasallus ita feudum praescribi passus fuerit, hoc nocebit agnatis?*

Neg. nisi illi, postquam ad eos successio feudi deuoluta, itidem per 30. annos tacuerint; antea enim non ualuerunt agere. *L. 1. C. de annal. except.*

23. *An domino, feudum a uasallo alienatum reuocanti, praescriptio opponi potest?*

Distingu. aut dominus repetere uult feudum, quoad dominium directum, et sic ei non obstat praescriptio; ratio, quia, qui ut uasallus possidet, proprietatem praescribere nequit, quam nec uasallus alienans transferre potuit: VVLT. *cap. 9. num. 20. in fin.* aut repetere uult quoad utile dominium, quasi feudum contra suam uoluntatem alienatum; et hic obstat praescriptio. *2. F. 9. §.*

 porro.

porro. Dominus enim tanto tempore ſeruitium a nouo poſſeſſore recipiendo, ſibi praeiudicauit quoad utile dominium, et alienationem ratihabuiſſe praeſumitur. SCHRAD. *Part. V. cap.* 4. *n.* 10. ROSENTH. *cap.* 9. *membr.* 2. *concl.* 95. *n.* 37. STRVV. *cap.* 13. *th.* 10. *n.* 4.

24. *Sed quid ita ad textus* 2. F. 40. *et* 2. F. 55. *reſpondendum?*

Communiter doctores illos textus de longi temporis praeſcriptione explicandos eſſe uolunt; et quamuis hanc non agnoſcant Langobardi, uid. *ſupr. quaeſt.* 7. *h. cap.* ut ſic dictam explicationem non admittat LVDW. *pag.* 178. dicta tamen capitula non ſunt Langobardica, ſed imperatoria, quibus ius ciuile ignotum non fuit. Quamuis et de hoc caſu, ubi de mala fide poſſidentis aperte conſtat, explicari poſſint. STRVV. *d. th. n. fin.*

25. *Quanto tempore praeſcribuntur regalia?*

Non niſi tempore immemoriali contra ſuperiorem praeſcribi poſſunt. *c. ſupr. quibuſdam. ſſ. praeterea X. de uerb. ſign.* ROSENTH. *c.* 5. *concl.* 16. *num.* 3. Quod ſi uero contra priuatum regalia praeſcribenda, ſufficit tempus ordinarium. ROSENTH. *d. l. concl.* 17.

26. *An uero indiſtincte regalia immemoriali tempore poſſunt praeſcribi?*

Aff. de illis, quae per modum priuilegii poterunt transferri; eſt enim illa praeſcriptio inſtar priuilegii. Transferuntur uero illa, quae a priuato

uato poſſideri, uel exerceri poſſunt. ROSENTHAL *d. l. concl. 16. n. 1.* Vid. *ſupr. cap. 9. qu. 25.* Pari modo praeſcriptio aliquem eximit ab imperio. MYLER. *de ſtatib. imper. cap. 100.* §. *3.*

27. *An imperatori Romano, repetere uolenti alienata ab anteceſſoribus, obiici poteſt praeſcriptio tempore anteceſſorum impleta?*

Non puto, quia imperator ſingulari iure ſuccedit, cui anteceſſorum negligentia non obeſt. *c. 2. X. de praeſcript.* ITTER. *cap. 23.* §. *15.* Idem ius obtinebit in principatibus per *Inſtrum. pac.* nouiter quaeſitis.



CAPVT XII.

DE INVESTITVRA FEVDI.

GENERALIA CAPITIS.

1. Inueſtitura feudi nihil aliud eſt, quam ſollemnis feudi collatio: quae cum ex arbitrio domini inueſtientis dependeat, illis ſignis expediri poterit, quae domino adhiberi lubet.

2. Cum uero ex inueſtitura omnis feudi efficacia dependeat: teſtes adhibendi ſunt, et quidem tales, qui ab eodem domino feudum recognoſcunt, qui *pares curiae* dicuntur, quorum maior fides, eſt.

3. Cum autem non tantum per nosmet ipsos, sed etiam per procuratorem res nostras transferre ualeamus: ualebit etiam inuestitura per procuratorem facta.

1. *Vnde* inuestitura *deriuatur*?

A Germano Besten, quod significat firmare, stabilire; uel etiam ab *inuestire*, seu ueste aliqua induere; sollemnibus enim uestimentis in eiusmodi inaugurationibus uti solebant; hinc et inuestitio dicitur *1. F. 26. pr. u. uestes.* STRVV. *cap. 8. th. 1. n. 1.* LVDW. *pag. 139.*

2. *Quotupliciter capitur inuestitura?*

Interdum pro ipsa feudi possessione; interdum pro instrumento super inuestitura confecto; interdum pro ipso inuestiendi actu. ANTON. *Disp. IIII. th. 1. litt. c.*

3. *Quid est* inuestitura?

Est sollemnis feudi traditio a domino uere uel ficte facta: LVDW. *pag. 138.* quae inuestitura regulariter contractum feudalem praecedentem supponit, cuius quasi consummatio est inuestitura.

4. *Quotuplex est?*

Duplex, *propria* et *abusiua; 2. F. 2. pr.* Quae distinctio modum inuestiturae respicit, sed effectum non mutat. ITTER. *cap. 9. §. 5.*

5. *Quae est* propria?

Quando rei feudalis possessio reuera et actualiter per traditionem in aliquem transfertur. LVDW. *p. 152.*

6. *Quae*

6. *Quae est* abusiua?

Quando dominus signis quibusdam, futuram possessionem innuentibus, adhibitis, ueluti baculo, sceptro, gladio cet. coram testibus alicui feudum cedit. STRVV. *cap. 8. th. 5.* ANTON. *Disp. IIII. th. 3.*

7. *An in omnibus feudis aequalia inuestiturae signa adhibentur?*

Neg. nam *summa* feuda, ut regnum, per hastam aut gladium; *media*, ut ducatus, per uexillum et interdum per gladium; *minima* per annulum uel torquem; *ecclesiastica* per baculum, pallium, uel annulum concedi solent: LVDW. *p. 134.* quamquam haec omnia commodius ex more regionis diiudicentur. Hodie imperator communiter per ensem inuestit, VVLT. *cap. 7. n. 20. conf. supr. cap. 3. qu. 33.* etiam ipsos episcopos et archiepiscopos, quia illos de territorio tantum, non de ecclesiastica dignitate, inuestit. Sollemnia uero inuestiturarum moderna uide infra in *Append. sub Num. 1. seqq.*

8. *An testes in inuestitura adhibendi?*

Affirm. de iure feudali: sine legitima enim testificatione uis inuestiturae nulla est. 2. *F.* 32.

9. *Quales uero debent esse testes?*

Pares curiae, non extranei: 2. *F.* 23. ne ita per alios testes forte corruptos, quod tamen de paribus curiae non praesumendum, domino praeiudicium fiat. 2. *F.* 58. *§. idem, u. idcirco.* Quam-

uis hic diſtingui poſſit inter teſtes illos, qui inueſtiturae adhibendi, et inter illos, per quos inueſtitura probanda; ad hoc etiam extranei ſufficient, qui deponere debent, ſe uidiſſe, pares curiae adfuiſſe. BITSCH. *Comm. feud. p. 573.*

10. *Sed quid, ſi dominus fateatur, inueſtituram eſſe factam?*

Adhuc tamen noui feudi inueſtitura non ualet, 2. *F.* 33. cum haec ſollemnitas iuris publici ſit, cui renunciare licitum non eſt, LVDW. *pag. 143.* et pares quoque non tam probationis, quam ſollemnitatis cauſſa ad ſubſtantiam actus adhibeantur. ANTON. *Diſp. IIII. th. 6. litt. c.*

11. *Sed quid, ſi dominus pares curiae non habeat?*

Eo caſu alii teſtes idonei et fide digni admittuntur. *Arg. 2. F. 2.*

12. *Quid uero, ſi quis pares habeat, ſed illi abſentes ſint?*

Extraneos admittendos eſſe, uult OBERTVS *1. F. 26.* Sed 2. *F. 33.* abſentes exſpectandos eſſe dicitur, quod ultimum probant LVDW. *p. 143.* VVLT. *cap. 7. num. 27.* qui in textu *1. F. 26.* pro: *abfuerint*, legunt *non fuerint*. Pro conciliatione diſtingui poteſt inter abſentiam non adeo remotam et remotiſſimam: de hac textum *1. F. 26.* intelligimus; de illa uero 2. *F.* 33. Conf. STRVV. *cap. 8. th. 5. n. 2. in fin.* ANT. *Diſp. IIII. th. 6. litt. d. in fin.*

13.

13. *Quid si praesentes quidem sint pares, sed inhabiles?*

Perinde habentur, ac si non adessent, ut si pupilli uel furiosi sint. Quamuis enim tutores habeant: quia tamen illi pares non sunt, nec praecise ad testimonium adhibendi. LVDW. *p. 147.*

14. *Quid si extraneus errore communi pro pari curiae tempore inuestiturae habeatur, an inuestitura ualet?*

Negat LVDW. *pag. 146.* Sed aequius aff. cum in sollemnibus tempus factae inuestiturae, non depositionis, sit inspiciendum. *Arg. §. 7. Inst. de testam.*

15. *Quot testes requiruntur?*

Duo ad minimum necessarii. 2. *F.* 2. ANTON. *Disp. IIII. th. 6. litt. b.* in probanda tamen felonia uasalli, quia res maximi praeiudicii est, quinque testes idonei requiruntur, 2. *F. 57.* quod hodie uix attenditur.

16. *Annon itaque inuestitura per instrumentum probari potest?*

Neg. quamuis enim publico instrumento fides habeatur; hoc casu tamen breue testatum seu instrumentum testibus corroboratum non aliter ualet, quam si illud a duobus paribus sit subscriptum. 2. *F. 32.* Conf. 2. *F.* 2. *pr.* Moribus tamen nostris parium praesentia remissa est, et breue testatum domini sigillo confirmatum, uel a-

lia domini confeſſio de facta inueſtitura, immo atteſtatum cancellariae feudalis, ſufficit. Conf. LVDW. *p. 150.* STRVV. *cap. 16. th. 14.*

17. *Si feudum a clerico concedatur, an et ibi parium curiae teſtimonium neceſſarium?*

Affirmatur hoc *2. F. 32.* ſed negatur *1. F. 26.* Dicendum itaque, hoc caſu extraneos pariter et pares, i. e. ſimul cum paribus admitti: dum enim clerici ſaepius ignorante capitulo quid facere ſolent, eo magis proſpiciendum eccleſiae; et ut omnis fraus exſulet, non tantum pares, ſed et extranaei ſimul adhibentur. STRVV. *cap. 8. th. 5. n. 3.* LVDW. *p. 149.*

18. *An uero dominus praeciſe feudum uaſallo tradere debet?*

Affirm. *2. F. 7. in fin.* Hinc non liberatur praeſtando intereſſe, ſi uaſallus ipſam rem habere uelit: modo dominus tradendi facultatem habeat. STRVV. *th. 9. num. 9.* ANTON. *Diſp. IIII. th. 9. litt. b.* Et haec traditio fit uel uere, per realem inductionem in feudum, uel ficte, per patientiam. STRVV. *theſ. 11.*

19. *A quonam peti debet inueſtitura?*

A domino immediate proximo, *2. F. 55. §. illud*, quia huic ſoli ſeruitia praeſtanda, et ad hunc feudum commiſſa felonia redit. FACH. *Lib. VII. controu. 53.* LVDW. *Tr. feud. p. 342.*

20.

20. *Sed annon dominus per procuratorem inuestire potest?*

Affirm. 2. *F.* 3. §. *sed utrum.* Si tamen speciale mandatum non habeat, ratihabitio domini est necessaria. ANTON. *Disp. IIII. th. 4. litt. b.*

21. *An idem in feudis imperii maioribus?*

Negat hoc ANTON. *d. l.* ob textum *A. B. tit.* 5. Sed contrarium uerius, cum in *d. tit.* 5. uicariis imperii tantum denegetur inuestiturae concessio in talibus feudis; (quibus tamen in casu absentiae imperatoris, si haec diuturna sit, inuestiendi licentia competit. *Rec. Wurmat. de a.* 1521. CARPZ. *de lege reg. cap.* 11. *sect.* 15. *n.* 17.) Alia uero ratio est in procuratore ad id specialiter ab imperatore destinato, quia sic ipse imperator concessisse intelligitur. Conf. LIMN. *d. Iur. publ. Lib. IIII. cap.* 7. *n.* 28.

22. *An idem in feudis imperii minoribus?*

Neg. nobilibus ergo immediatis inuestituram concedere possunt uicarii, sed haec rarius fiunt, quia, electo nouo Imperatore, haec inuestitura denuo repetenda, *A. B. cap.* 5. §. 1. et sic multiplicarentur expensae. ITTER. *cap.* 9. §. 15. Immo hodie omnia feuda comitum et baronum reapse per procuratorem inuestit imperator, dum per iudicium aulicum hoc expedit, cuius exemplum uideri potest in *Append. Num. IIII.*

23. *Sed an uasallus inuestituram in sua persona accipere debet?*

Neg. sed perinde per procuratorem potest: d.

d. text. 2 *F.* 3. §. *sed utrum*, nisi dominus ex graui caussa uasalli praesentiam requirat. ANTON. *Disp. IIII. th. 4. litt. c.* STRVV. *cap. 8. th. 7. n. 5.* Hodie legati principum coram imperatore absentiam sui principalis modeste excusare solent. *Vid. infr. Append. Num. I.*

24. *Potestne inuestitura in diem fieri, uel sub conditione?*

Affirm. quia ex conuentione dependet; hinc et pacta inuestiturae adiecta ualida sunt, 2. *F.* 2. §. *praeterea cet.* et si dubium circa feudum occurrat, ante omnia uidendum, quis sit tenor inuestiturae. *d.* §. *praeterea, et* 2. *F.* 18. LVDW. *Synops. pag.* 158. ANTON. *Disp. IIII. th. 7. litt. f.*

25. *Valetne de feudo nondum aperto inuestitura?*

Aff. si non pure, sed sub condirione fiat: STRVV. *cap. 5. th. 5.* tam in eum casum, si uasallus iam possidens iure suo exciderit; quam in casum mortis, si uasallus sine herede feudali decesserit, 1. *F.* 3. quia utroque casu feudum ad dominum reuertitur: 2. *F.* 26. §. *moribus;* LVDW. *p.* 160. et haec inuestitura conditionalis est, et *superinfeudatio* dicitur, seu *exspectatiua.* STRVV. *cap. 7. th. 4. n. 1.* ein Gnaden-Lehen; ein Angefäll; eine Anwartschaft.

26. *Annon uero iniusta est haec concessio?*

Ita uidetur, ob uotum captandae mortis. Verum

rum cum etiam de re aliena ſubſiſtat pactum, in caſum, ſi illa mea futura ſit; et uotum captandae mortis non ex uitio huius inueſtiturae, ſed uitio perſonae reſultet, iſta dici poterit. MOLINA *de iuſt. et iur. Tr. II. d. 388. n. 2. in fin.*

27. *Quid ſi uero in caſum mortis ſine liberis conceſſa exſpectatiua, ſed feudum alio caſu forte ob culpam ad dominum reuertatur?*

Non admittitur exſpectatiuus, quamuis poſtea, cum iam ob culpam feudum ad dominum eſſet reuerſum, ille uaſallus ſine liberis deceſſerit: CARPZ. *Part. II. conſt. 45. def. 3.* conditio enim ſpecifice adimplenda; nec dominus iuri ex felonia cnmpetenti renunciaſſe uidetur. STRVV. *d. c. 7. th. 5. n. 7.* RHET. *Comm. iur. feud. p. 170. n. 3.* Niſi tamen exſpectatiua ſimpliciter in caſum aperti feudi conceſſa.

28. *Sed an ita conſenſu uaſalli poſſidentis opus erit?*

Neg. quia haec inueſtitura demum poſt mortem uaſalli effectum ſortitur, et ita ipſi non praeiudicat. *d.* §. *moribus.* CARPZ. *Part. II. conſt. 45. def. 1.* Nec obſtat *1. F. 27.* §. *ſi quis:* nam ibi ultima opinio praeualet. LVDW. *p. 161.* STRVV. *cap. 7. th. 6.*

29. *Quid ſi uero pure quis de feudo uiuentis uaſalli inueſtiatur?*

Inueſtitura haec non ualet, adeo, ut nec effectum

consequatur post mortem uasalli, quia ab initio fuit uitiosa; *arg. L. 29. D. de reg. iur.* nisi forte mens inuestientis domini in futurum casum directa. STRVV. *d. c. 7. th. 5. num. 2.*

30. *Quid si autem in puram inuestituram uasallus praesens consentiat?*

Ita ualere eam uult SCHRAD. *Part. III. cap. 2. n. 19.* BOCER. *de inuestit. cap. 5. n. 15.* quamuis ita magis esset simultanea inuestitura, quam exspectatiua. STRVV. *d. l.*

31. *An, si possessor feudi liberos habeat, recte exspectatiua conceditur?*

Affirm. licet enim haec conditio subsit in exspectatiuis, *si feudum ad dominum sit reuersurum;* non tamen opus est, ut de proximo haec conditio exsistat, sed sufficit, quod aliquando exsistere possit. Et hinc iuste exspectantiam in ducatum Mecklenburgicum iam dudum obtinuit elector Brandenburgicus. Nec obstat *1. F. 27. in fin.* nam effectum antea exspectatiua non habet, quam si successor nullus adfuerit. STRVV. *cap. 7. th. 5. in fin.* RHETIVS *d. p. 170. num. 2.*

32. *Si pluribus feudi exspectatiua concessa, quis praefertur?*

Aut unus ex his iam possidet, et hic praeferendus; *arg. L. 15. C. de rei uind.* aut neuter possidet, et sic prior promissio potius ius tribuit. STRVV. *cap. 7. th. 7. n. 2.* Reliquis tamen ad inter-

intereſſe tenetur dominus, 2. *F.* 7. *in fin.* praeſertim ſi titulo oneroſo exſpectantiam conſecuti; niſi hi aliis iam inueſtituram conceſſam eſſe ſciuerint: 2. *F.* 8. *pr.* STRVV. *d. l. n.* 3. *et cap.* 8. *th.* 9. *n.* 5. tunc enim actione doli tenentur.

33. *An autem exſpectatiuam pendente conditione dominus reuocare poteſt?*

Neg. ob ius, quod alteri ex promiſſione quaeſitum. CARPZ. *Part. II. conſt.* 45. *def.* 2.

34. *Poteſtne uero dominus cum* clauſula anteferri, *poſteriori exſpectantiam concedere?*

Affirm. cum priores exſpectiuati tantum ius perſonale habeant, quae clauſula facit de poſteriore priorem. MARTA *de clauſul. Part. II. Cl.* 212. *n.* 1. Tenebitur tamen dominus reliquis ui obligationis perſonalis ad intereſſe. BRVNNEMANN. *Conſil.* 152.

35. *Quid ſi uero dominus alienauerit feudum, in quo alter exſpectatiuam habet?*

Non poteſt hoc impedire exſpectiuarius, uel rem alienatam reuocare, quia ſaltem ius in perſonam habet, non in rem. STRVV. *th.* 7. *num.* 7. Aliud in ſimultanee inueſtito. CARPZ. *Part. II. conſt.* 45. *def.* 16.

36. *Sed an exſpectatiuam habens, propria auctoritate, feudo euacuato, poſſeſſionem arripere poteſt?*

Affirm. ſi non ſaltem promiſſa exſpectatiua,

ſed et ſub conditione futura quis ſimul inueſtitus fuerit; quia, ſublato impedimento conditionis, aequale ius habet, quod alius ſucceſſor feudi, ut ita poſſeſſionem, modo uacua fuerit, apprehendere poſſit. STRVV. *cap.* 7. *th.* 7. *n.* 6. CARPZ. *dict. def. in fin.* In nuda ergo exſpectatiua feudi illud non procedit, RHETIVS *Comm. iur. feud. p.* 166. *n.* 14. niſi poteſtas occupandi a domino conceſſa, quale exemplum in *Inſtrum. pac. Art.* 11. *ſ.* 6.

37. *Quo uero remedio alias poſſeſſionem conſequi poteſt exſpectiuatus?*

Competit ipſi uel interdictum adipiſcendae poſſeſſionis, ſcil. *quorum bonorum;* uel imploratio officii iudicis pro impetranda immiſſione in poſſeſſionem. MENOCH. *de adipiſc. poſſeſſ. remed.* 1. *n.* 43. STRVV. *cap.* 8. *th.* 10. *n.* 5.

38. *An ſucceſſor domini tenetur adimplere inueſtituram a defuncto promiſſam?*

Aut iure hereditario ſuccedit, ubi factum defuncti praeſtare, *L.* 14. *C. de rei uind.* et ſic inueſtituram ratihabere debet, STRVV. *cap.* 7. *th.* 9. *n.* 2. CARPZ. *Part. II. conſt.* 45. *def.* 5. niſi ſalus publica principi reſiſtat: aut per electionem; et ſic ad factum praedeceſſoris non tenetur. SCHRAD. *Part. III. cap.* 2. *num.* 22. STRVV. *d. l. n.* 4.

39. *An ergo imperator antecessoris sui exspectatiuas de feudo regali ratihabere tenetur?*

Negant hoc multi: Verum cum exspectatiuam concedere nequeat imperator sine consensu electorum: sequitur, quod, si illa semel concessa, a successore reuocari nequeat, quia electores hoc casu consensum totius imperii supplent. ITTER. *cap. 10. §. 3.*

40. *Sed an idem in successore clerici?*

Aff. si de propriis bonis inuestituram fecerit. 2. *F. 35.* Si uero res ecclesiae fuerit, distinguendum, an praedecessor feudi possessionem interim uasallo tradiderit, an non: Illo casu successor quoque obligatur; *1. F. 3.* STRVV. *d. l. n. 8.* non hoc, 2. *F. 25.* nisi (1) consensu totius capituli facta inuestitura, SCHRADER. *d. loc. n. 37.* STRVV. *n. 6.* (2) uel in utilitatem ecclesiae, STRVV. *num.* 7. (3) aut ob bene merita erga ecclesiam. SCHRAD. *d. l. n. 38.*

41. *An ad heredes inuestiti transit exspectatiua?*

Aff. *1. F. 9.* quia se habet ad instar contractus. CARPZ. *d. const. 45. def. 9.*

42. *Quid uero, si legata sit exspectatiua?*

Adhuc tamen ad heredem transit: *1. F. 1.* legatum enim hoc conditionale est, uerum non conditione extrinseca, sed intrinseca, cum numquam

pure legari possit. Quo casu suspenditur quidem exsecutio, sed non impeditur transmissio. STRVV. *cap. 7. th. 8. n. 2.* Similis casus est in *L. 1. §. 3. de condit. et demonstrat.*

43. *An instrumentum super inuestitura necessarium est?*

Ad sollemnitatem non requiritur; probationis tamen caussa utile est, ut accedat. *Vid. supr. qu. 16. h. cap.* STRVV. *cap. 8. th. 8. n. 2.*

44. *Quaenam est inuestitura simultanea?*

Quando dominus consensu uasalli alium de eodem feudo inuestit, eique ius succedendi tribuit. Ein Mitbelehnter, der die gesammte Hand hat.

45. *An iure feudali communi haec inuestitura simultanea cognita est?*

Non aeque, ac moribus. Triplici tamen casu eadem obtinere uidetur: (1) si duo inuestiantur, ut simul actu feudum habeant, *2. F. 12. et 18.* (2) si fratri in feudo nouo per pactum inuestiturae successio deferatur. *1. F. 1. §. 2. et 2. F. 12.* (3) Si consentiente uasallo alius de eodem feudo simul inuestiatur, ac in possessionem mittatur. *1. F. 3. uers. nisi ille*, STRVV. *cap. 9. th. 14. n. 1.*

46. *Quid uero inuestitura simultanea Saxonica singulare habet a iure communi?*

(1) Iure Saxonico agnati ne quidem in feudo

do antiquo ſuccedunt deficiente ſimultanea inueſtitura; iure communi ea opus non habent, niſi in feudo nouo. BERLICH. *Part. II. concl. 53. n. 24.* (2) Iure Saxonico ſimultanee inueſtitus omni caſu tenetur renouationem inueſtiturae petere. BERL. *d. l. n. 29.* CARPZ. *Part. II. conſt. 45. def. 17.* non iure communi, niſi feudo aperto, uel ad ipſum deuoluto: KÖPPEN. *Deciſ. 31. num. 4.* quamuis in Marchia mutato domino etiam renouatio petenda, per *Edict. de an. 1602. Rhetius Comm. iur. feud. p. 350. Vid. infr. cap. 17. qu. 10.* quod nouiſſima *Conſtit. elect. de a. 1683. d. 31. Dec.* etiam ad caſum mutati uaſalli extenſum. (3) Iure Saxonico per diuiſionem feudi exſpirat ſimultanea inueſtitura, niſi de alterius parte de nouo ſimultanee inueſtiantur; iure communi, uero ius ſuccedendi manet integrum. BERL. *d. l. n. 46. ſeqq.* KÖPPEN. *Deciſ. 47. n. 8.*

47. *Sed an in feudis imperii ſimultaneae inueſtiturae ratio habetur?*

Nulla lex adeſt, quae hoc exigat: in multis tamen imperii feudis ad ductum iuris Saxonici receptum eſt, ut etiam in caſu nondum deuoluti feudi ſimultanee inueſtiti renouationem petant: quale exemplum in domo Brandenburgica uideri poteſt in *Append. ſub Num. III.* Conf. ITTER. *cap. 10. ſ. 7.*

CAPVT XIII.

DE IVRAMENTO FIDELITATIS, INVESTITVRAE ANNEXO.

GENERALIA CAPITIS.

1. Quia fides uiri non dependet iuramento, fed iuramenti fides potius ex fide uiri: inde dubium non eft, iuramentum fidelitatis a domino remitti poffe: ubi tamen de hac remiffione non conftat, ab omni uafallo, cuiufcumque conditionis fit, hoc praeftandum erit.

2. Quicumque autem eius aetatis eft, ut ad aliud iuramentum admitti poffit, ille etiam capax eft iuramenti fidelitatis.

3. Cum uero in feudo reciproca domini et uafalli obligatio ad fidem praeftandam adfit: inde fi ab una parte fides denegetur, nec alter ui iuramenti ad fidem tenebitur, cum femper tacite claufula fubfit: *rebus fic ftantibus.*

1. *Quid praeftandum a uafallo, inueftituram feudi impetrante?*

Iuramentum fidelitatis, quod et fimpliciter *fidelitas* dici folet. 2. *F.* 4. *in fin.* Die Lehens-Pflicht.

2. *Praeceditne iuramentum fidelitatis inueftituram?*

Regulariter iuramentum inueftituram fequitur, 2. *F.*

2. *F.* 4. licet promissio, seu oblatio iuramenti praecedere soleat: STRVV. *cap. 8. th. 6. n.* 7. praepoſteratio tamen, seu ubi iuramentum inueſtituram praecedit, actum ipſum non uitiat. ANTON. *Diſp. IIII. th. 8. litt. a.*

3. *Poteritne feudum ſine fidelitate concedi?*

Sine iuramento fidelitatis poteſt, non ſine fide. *Vid. cap. 2. qu. 22.*

4. *Cui praeſtandum iuramentum fidelitatis?*

Ipſi domino, uel procuratori eius, ſpeciale mandatum habenti. *Vid. cap. praec. qu. 20. ſequ.*

5. *An uero et heredi domini?*

Affirm. repetendum enim eſt in heredis perſona, etiamſi quis ab initio iurauerit, ſe domino et ſucceſſoribus eius fidelem futurum, STRVV. *cap. 10. th. 5. num. 3.* ſicut ordinarie ſucceſſorum nomine haec iuramenta concipiuntur. *Vid. formulas infra in Append.* Filio tamen, uiuo patre, ſeparatim non praeſtatur iuramentum. ANTON. *Diſp. IIII. th. 8. litt. a.* Exemplum in rege Ioſepho, qui capitulationem iuramento confirmauit, ſed ipſi nemo ſtatuum adhuc iurauit.

6. *Si plures unius feudi domini, cui tunc praeſtandum hoc iuramentum?*

Vaſallus petere debet, ut ipſi aliquem eligant: ſi uero conuenire non poſſint, ipſe uaſallus eli-

get, VVLT. *cap. 9. num. 95.* LVDW. *Tract. feud. pag. 348.* ita tamen, ut inter ipſos dominos praeeminentiae reſpectum habeat, ratione dignitatis uel aetatis. ANTON. *Diſp. VIII. th. 2. litt. a.* Praeſtabit tamen illi uni iuramentum nomine omnium. 2. *F.* 77.

7. *Sed quid, ſi plures inter ſe de dominio litigent?*

Nulli iurabit uaſallus, ſi neuter poſſideat: STRVV. *cap. 10. th. 9. n. 6.* quod ſi tamen unus eorum in poſſeſſione ſit, huius cauſſa potior erit, quia ad fructus poſſeſſionis pertinet recognitio feudorum. Vid. *infra cap. 17. qu. 17.* Exemplum eſt in uaſallis ducatus Cliuiae et Iuliae.

8. *Quid, ſi plures uaſalli?*

Aut indiuiſim poſſident feudum, et omnes iurare debent. 2. *F.* 26. *ſ. omnes filii.* Nec obſtat 2. *F.* 77. ibi enim non dicitur, quod unum ſaltem iuramentum praeſtandum; ſed quod, quamuis plures iurauerint, una tamen maneat fidelitas, et unum ſeruitium; cum rei, non perſonarum iurantium ratio habeatur. BITSCH. *Comm. feud. ad* 2. *F.* 26 *pag. 406.* STRVV. *cap. 10. th. 3. n. 1.* VVLT. *cap. 8. n. 91. p. 232.* Solet tamen inter plures aliquis eligi, qui omnium nomine inueſtituram accipiat, et iuret, qui uocatur Der Lehenträger. BESOLD. *Theſ. pract. ſub hac uoc.* Aut diuiſum feudum, et quot partes, tot fidelitates praeſtandae: 2. *F.* 77. ſinguli enim pro ſua parte

te iurant, et seruitia praestant proportionabiliter.

9. *An uasallus in persona propria iuramentum fidelitatis praestare debet?*

Neg. sed et per procuratorem, 2. *F.* 3. §. *sed utrum*, qui in principalis animam iurabit, et hinc speciali mandato opus habet. LVDW. *Tr. feud. pag.* 340. Limitationem *uid. in qu.* 22. *cap.* 12.

10. *An uero uasallus se offerre debet ad iuramentum fidelitatis?*

Neg. sed exspectare potest, donec a domino citetur; quod si tamen uiderit, dominum studio hoc differre, ipse, ut ad iuramentum admittatur, urgere potest. ANTON. *Disp. IIII. th.* 8. *litt. a.*

11. *In quonam forma iuramenti fidelitatis consistit?*

Habetur ille 2. *F.* 6. *et* 7. ubi uasallus promittit, quod dominum semper uelit praestare *incolumem*, quoad personam, *tutum*, quoad bona, *honestum*, quoad famam, atque omne facturum, quod ipsi sit utile, uasallo uero facile et possibile. Sed hic cuiusuis loci consuetudo quam maxime attendenda. Formulae hodiernae uideantur in *Appendice.*

12. *An ecclesia, feudum accipiens, hoc quoque iuramentum praestat?*

Affirm. de iure canonico, ubi praelatus nomi-

ne ecclesiae iurat. STRVV. *cap. 8. th. 6. n. 2.* Negatur de iure feudali. 2 *F. 104.*

13. *Quid in feudo franco?*

Et hic hoc iuramentum praestandum esse, uerius est, cum sola seruitia tantum remissa; iuramenti tamen formula paullo aliter formanda erit. STRVV. *d. l. n. 4.*

14. *Num dominus uasallo iterum fidelis esse debet?*

Affirm. nam fides debet esse reciproca. 2. *F. 6. in fin.* Vnde Germanorum: getreuer Herr, getreuer Knecht: ANTON. *Disp. VII. th. 1. litt. b.* supponendi tamen hic sunt termini habiles.

15. *An ergo etiam iuramentum fidelitatis uasallo dominus praestabit?*

Neg. quia hoc nullibi iure feudali expressum; insuper uasallus accipit beneficium, dominus uero confert; absurdum autem foret, beneficii collatorem ad iuramentum adstringere uelle. ANTON. *d. l.* FINCKELTH. *Disp. VII. contr. 23.* Imperator tamen post electionem de confirmandis statuum priuilegiis iurat. *Cap.* LEOP. *§. 3.*

16. *An iuramentum fidelitatis et subiectionis unum idemque est?*

Neg. quia illud ratione rei praestatur, hoc ratione personae: hinc uasallus non statim subditus est. STRVV. *cap. 8. th. 6. in fin.* In multis tamen

tamen locis subiectionem simul continet, ut in Marchia. *Vid. infr. in Append.*

17. *Sed quomodo superioritas territorialis principum imperii consistere potest cum iuramento fidelitatis?*

Vis iuramenti illius non ex solis uerbis, sed legibus imperii fundamentalibus, et consuetudine recepta, est petenda, quorsum uerba finalia illius iuramenti collimant: wie ihm das zu thun gebühret von Rechts- und Gewohnheits wegen. Cum ergo leges imperii, praesertim per *Instr. pac. art. 8. §. gaudeant.* superioritas territorialis confirmata, utique iuramentum, hac *superioritate salua*, est intelligendum. Sed an recte subditi dicantur status imperii, uid. ITTER. *cap. 9. §. 43. sequ.* RHET. *iur. publ. Lib. I. tit. 3. §. 2.*



CAPVT XIIII.

DE DISPOSITIONE TESTAMENTARIA CIRCA FEVDVM.

GENERALIA CAPITIS.

1. Cum lege 12. tabb. cautum sit: sicut *quisque de re sua legasset, ita ius esto:* inde sequitur, si res testatoris propria

pria non sit, testamentum de ea condi non posse. Ergo nec de feudo, cuius dominium directum uasallo ademtum.

2. Cum itaque uasallo testamenti factio sit interdicta, non propter inhabilitatem personae, sed rei, feudali nexu affectae; inde sequitur, de omni illo, quod in feudo qualitatem allodialem habet, testamentum subsistere.

1. *Num uasallus in testamento de feudo disponere potest?*

Neg. *1. F. in fin. pr.* feudum enim ad res alienas spectat, de quibus testari non possumus; et insuper hoc domino praeiudicaret, cui alius uasallus obtruderetur. STRVV. *cap. 9. th. 1. in fin.*

2. *Sed quid, si dominus in testamentum uasalli consentiat, uel illud ratihabeat?*

Ita quidem ualidum est testamentum, quoad feudum nouum: in feudo uero antiquo tantum ualet, quoad praeiudicium domini, non agnatorum, ob ius ex inuestitura quaesitum. ROSENTH. *cap. 7. concl. 4. n. 6.*

3. *Quid uero, si et agnati consenserint?*

Ita ualet. ANTON. *Disp. IIII. th. 8. litt. e.* Etiam si domino et agnatis praesentibus et tacentibus testamentum factum, quamuis expresse non consenserit: VVLT. *cap. 9. n. 82.* LVDW. *pag. 181.* quae sententia, tamquam benigna, in fauorem ultimae uoluntatis admitti potest. Alias si feudum tacentibus agnatis alienaretur, hoc ipsis non praeiudica-

iudicaret; tacuiſſe enim cenſentur ſaluo ſuo iure.

4. *Quid ſi feudum ſit mere hereditarium?*

Quia iure allodialium cenſetur, uaſallus libere de eo diſponere, et heredem pro lubitu inſtituere poteſt: STRVV. *cap. 9. th. 12.* ANTON. *Diſp. V. th. 8. litt. c.* quod et in feudis imperii hereditariis obtinere, teſtatur ITTER. *cap. 16. §. 6.*

5. *Poteritne extra hunc caſum uaſallus inter filios ſuos de feudo diſponere?*

Affirm. et ſic inaequaliter diuidere poteſt, cum filii, uti neceſſario ſimul heredes eſſe debent, 2. *F. 45.* ita facto patris contrauenire non poſſint. STRVV. *d. th. 12. n. 2. et 7.* Quod in feudo hereditario mixto procedit: ſi uero ex pacto et prouidentia, liberis praeiudicari non poſſe, ſtatuit VVLT. *cap. 19. n. 78. p. 488.* Vnde ſequitur, quod pater ſiue princeps in ditionibus ſeu feudis imperii antiquis primogenituram introducere non poſſit, inuitis filiis ultra genitis. ITTER. *cap. 12. ſ. 9.*

6. *An uero uaſallus filium exheredare poteſt?*

Affirm. ſi feudum ſit mere hereditarium; alias non, ſed exheredatio tantum ſubſiſtet in allodialibus STRVV. *d. th. 12. num. 8.* VVLT. *cap. 9. n. 69.* LVDW. *pag. 213.*

7. *Quid*

7. *Quid ſi uero ita ingratus fuerit filius, ut ſit exheredatione dignus?*

Conſenſu domini adhibito ſubſiſtit exheredatio. ROSENTH. *cap. 6. concl. 10. n. 10. ſequ.*

8. *An ualet teſtamentum uaſalli, ſi eum inſtituat, qui alioquin erat ſucceſſurus?*

Affirm. quamquam hoc caſu heres ſeu agnatus non ſuccedat iure teſtamentario, ſed iure proprio ſibi antea competente. Commodum tamen in eo agnati heredes ſcripti habere potuerunt, ut citius *ex L. fin. C. d. edict. diu. Adr. toll.* bonorum poſſeſſionem conſequantur. SCHRADER. *Part. VII. cap. 2. n. 18.*

9. *Quando alias teſtamentum uaſalli ſubſiſtit?*

Si uel ſtatuto uel conſuetudine teſtari permiſſum ſit; uel ſi feudum hoc expreſſo pacto datum, ut uaſallus illud pro lubitu alienare poſſit. LVDW. *p. 181.* Exemplum in archiducatu Auſtriae. ITTER. *cap. 16. §. 6.*

10. *Poteſtne uaſallus de fructibus feudi teſtari?*

Aff. de perceptis, quia hos pleno iure ſuos fecit. Idem de fructibus ultimi anni dicendum, ſi uaſallus poſt Kal. Mart. deceſſerit, uſque ad Kal. Auguſti, iuxta *2. F. 28. §. hic conſequenter*, SCHRADER. *d. c. n. 25.* Quinam uero terminus moribus obſeruetur, uid. *infra cap. 15. qu. 14.*

11. *Quid*

11. *Quid in melioramentis feudi?*

De his ualet teſtamentum, SCHRAD. *d. l. num. 24.* quia cenſentur iure allodialium, et hinc, ſi nullum de illis conditum ſit teſtamentum, non heredi feudali, ſed allodiali cedunt, qui eapropter iure retentionis gaudet.

12. *Valetne teſtamentum de pretio feudi legitime uenditi?*

Aff. cum enim pretium hoc non ſuccedat in locum rei, iure allodialium pariter cenſebitur. SCHRAD. *d. c. 2. n. 34.*

13. *Valetne teſtamentum de feudo franco?*

Neg. remiſſio enim ſeruitiorum non infert liberam diſponendi facultatem. SCHRADER. *d. c. 2. n. 41.*

14. *Quid ſi quis feudum pignoris iure detineat?*

De hoc iure pignoris teſtari licebit, etiam ſine conſenſu domini, quia obligatio pignoris allodialis eſt, et dominus, in oppignorationem conſentiendo, etiam in alienationem conſenſiſſe uidetur. ROSENTH. *cap. 7. concl. 9. n. 2.* Vbi tamen ſtatuto receptum, quod debitum feudale domini conſenſu cedi non poſſit, ibi etiam ad teſtamentum conſenſu opus erit. CARPZ. *Lib. V. reſp. 36.* Alia ratio eſt, ſi feudum proprie pignoratitium ſit, de quo quis in ſpecie inueſtitus: hoc enim

feudi indolem retinet, excepto eo, quod redimi possit. *Vid. cap. 4. qu. 15.*

15. *An de feudo sub iure retrouenditionis concesso testari licet?*

Negat hoc SCHRAD. *d. l. n. 8.* cum nec de feudis impropriis testari liceat; quod admitto, si quis sub iure retrouenditionis inuestitus; non, si ab alio uasallo feudum consensu domini iure retrouenditionis acceperit: hoc enim ius libere in alterum transferri potest.

16. *An legato feudo aestimatio debetur?*

Aff. quia feudum non simpliciter extra commercium est, sed ita demum, si dominus dissenserit: LVDW. *p. 180.* modo tamen constet de uoluntate testatoris, quod uoluerit illi aestimationem praestari, cui feudum legauit.

17. *Quis uero praestabit aestimationem feudi legati?*

Non successor feudalis, sed heres allodialis; hunc enim, non illum grauare potuit testator. VVLT. *Lib. I. cap. 9. n. 72.*

18. *An feudum sub generali fideicommisso continetur?*

Neg. quia non habetur iure hereditario, sed magis beneficio domini. ROSENTH. *cap. 7. concl. 11. n. 2.* Aliud ergo, si feudum hereditarium esset: tunc enim etiam in petitionem hereditatis uenit. ROSENTH. *d. l. concl. 12. num. 1.*

19. *An*

19. *An princeps imperii in casu, quo testamenti factio ipsi permissa, sine sollemnitate iuris ciuilis testari potest?*

Multi hoc affirmant. Vid. MYLER. *ab* EHRENBACH. *de princ, et stat. imp. cap. 26.* Contrarium defendit ITTER. *cap. 16.* §. *8.* Distinguendum puto, an princeps disponat inter suos subditos, et liberos, et hoc respectu cessabunt sollemnia, quia eorum intuitu legibus ciuilibus liberatus est; aut alios principes heredes instituit, et ad sollemnia iuris adstrictus est, quia principes imperii inter se utuntur iure priuatorum.

20. *An dominus de dominio directo testari potest?*

Aff. quia dominus proprietatem a nullo alio recognoscit, sed illam libere possidet; ne tamen uasallo inuito nouus obtrudatur dominus, limitant hoc doctores, ut dominus tantum inter suos agnatos de proprietate disponere possit. VVLT. *de feud. cap. 9. n. 84.* Sed cum dominus nullo beneficio affectus sit a uasallo, non uideo, quare ob utile dominium uasallo concessum ipsi ius de proprietate disponendi sit denegandum.

21. *An feudum in legitimam a filio imputandum?*

Neg. quia ex pacto ad filios peruenit, et de genere bonorum aduentitiorum aestimatur, quae

 legi-

legitimae imputari non ſolent: ROSENTH. *cap.* 7. *concl.* 13. *n.* 10. in feudo nouo autem communiter contrarium placuit, ROSENTH. *d. l. n.* 4. *ſeqq.* niſi hoc ex gratia principis conceſſum.



CAPVT XV.

DE SVCCESSIONE DESCENDENTIVM IN FEVDO.

GENERALIA CAPITIS.

1. In ſucceſſione feudali pro fundamento obſeruandum, quod feuda dantur familiae ad ſeruitia praeſtanda. Qui ergo uel ex familia primi adquirentis non eſt, uel ad ſeruitia praeſtanda inhabilis exſiſtit, ille a ſucceſſione feudali excluditur.
2. Quod ſi ergo habilitas ad ſeruitia adſit, deſcendentes eadem ratione ſuccedunt in feudum, qua in allodium.

1. *Quorum prima in ſucceſſione feudali ratio habetur?*

Qui a primo adquirente trahunt ſanguinem, ſeu deſcendentiam. STRVV. *cap.* 9. *th.* 2.

2. *Quinam inter deſcendentes ſunt potiores?*

Liberi ex iuſto matrimonio ſuſcepti, ſeu naturales et legitimi ſimul.

3. *Num*

3. *Num uero liberi indistincte admittuntur?*

Neg. sed masculi tantum, exclusis filiabus, *2. F. 36.* quia nec bellis gerendis idoneae, nec consilio, nisi fragili, dominum iuuare possunt. Et quamuis interdum bellis sint assuefactae; rariorem tamen casum dominus feudum concedens respexisse non praesumitur. STRVV. *cap. 9. th. 8. n. 1.*

4. *Quid uero de masculo ex femina nato?*

Nec hic succedit. *2. F. 11. uers. ad filias uero.* Quamuis enim prohibendi rationes cessent, non tamen plus iuris filia in nepotem transmittere potuit, quam ipsa habuit. LVDW. *p. 180.* Insuper filia nubendo familiam mutat; familiae uero caussa feuda sunt concessa. FORSTER. *de success. Lib. IIII. cap. 23. num. 48.*

5. *An filia in feudo femineo succedit?*

Affirm. tam si proprie tale, seu a femina primo quaesitum, ubi etiam sine speciali pacto succedit, *2. F. 30.* quam si improprie, si scil. per pactum feminae prospectum. *1. F. 1. §. 3.*

6. *Sed num hoc casu simul cum filio admittitur?*

Neg. sed masculis demum deficientibus: *2. F. 30.* STRVV. *cap. 9. th. 8. n. 5.* nisi in specie conuentum, ut filiae simul cum filiis succedant. LVDWELL. *pag. 149.*

7. *Si feudum pro masculis et feminis concessum, an femina, in prima linea tantum superstes, excludit masculum in secunda linea?*

Aff. Quamdiu enim in prima linea aliquis superest, qui feudi capax, tamdiu successio ad alteram lineam non deuoluitur. 2. *F.* 50. PEREGR. *de fideic. art.* 27. *n.* 14. TIRAQVELL. *de primogen. qu.* 11. *et* 14. Vid. *cap.* 16. *qu.* 17. Grauiter obstat 2. *F.* 17. Sed ibi casus specialis, si feudum ad diuersas lineas ex aequo perueniret, quod tunc, quamdiu masculus superest, non admittatur femina: si uero quaestio moueatur de duabus lineis, quarum una, exclusa altera, sola ad successionem admissa, e. gr. si quis filium et filiam relinquat, et in hac femina, in illa masculus sit, tunc femina potior erit, quia est in linea admissa. Vid. *Disp. nostr. de success. in feud. masc. et fem. concessa, cap.* 3.

8. *Quid si femina ad feudum admissa, et postea masculus nascatur?*

Femina tamen ad dies uitae feudum retinet, quia semel per successionem legitime ad eam deuolutum: LVDW. *p.* 195. STRVV. *cap.* 9. *§.* 8. *n.* 8. quod intelligo, nisi et haec filium reliquerit.

9. *Sed quid, si femina per exsistentiam masculi semel exclusa, num perpetuo exclusa manet?*

Neg. sed deficientibus masculis iterum admitten-

tenda. Exſiſtente enim maſculo, femina non tam excluditur, quam non admittitur, ſeu impeditur: VVLT. *cap. 9. n. 53.* ſublato uero maſculo, hoc impedimentum exſpirat. Nec obſtat *1. F. 6. ʃ. quin etiam*: nam feminae ulterius non admittuntur, ſcilicet quamdiu maſculus, aut ex eo deſcendentes, exſtant. STRVV. *cap. 9. th. 8. n. 6.* LVDW. *pag. 196.* BITSCH. *ad 1. F. 6.* Hodie plerumque filiarum renunciationes fiunt bis auf einen ledigen Anfall.

10. *Quid in feudo mere hereditario?*

Et hic femina ſuccedit: dum enim ad quoſuis heredes tranſitorium eſt, et iure allodialium in eo ſucceditur, feminae non erunt excludendae. SCHRAD. *de feud. Part. VII. cap. 3. n. 1.* Diſſentit CARPZOV. *Part. III. cap. 28. def. 11.*

11. *Quid in feudo franco?*

Hic ſuccedit femina, quia ratio prohibendi, ſeu inhabilitas ad ſeruitia ceſſat. Et hic ſimul cum maſculo admittenda: *2. F. 104.* STRVV. *c. 9. th. 8. num. 2.* ubi hoc ad feudum conditionatum extendit, ſi ſeruitium tale ſit, quod commode femina praeſtare poſſit. Diſſentit LVDW. *p. 190.* feminas a feudo franco penitus excludens. Nos id non admittimus, feminam cum maſculo hic concurrere; regulariter enim ſaltem in ſubſidium ſuccedunt feminae; et textus *2. F. 104.* expreſſe de eo caſu agit, ſi in litteris inueſtiturae expreſſum, ut ſimul ſuccedant cum filiis.

12. *Quando alias feminae admittendae?*

Si ſtatuto uel conſuetudine id ita receptum, ANT. *Diſp. VI. th. 4.* LVDW. *pag. 193.* qualis conſuetudo eſt in duc tibus Cliuiae et Iuliae, ut non exſtantibus filiis ſuccedant filiae. IO. A SANDE *de feud. Geldriae, Tom. I. tit. 3. cap. 1. ʃ. 5.* LIMN. *Iur. publ. lib. V. cap. 10. n. 7.* Idem de ducatu Megapolitano aſſerit MYLER. *de princ. imp. cap. 34.* ſed male, quia in litteris inueſtiturae Mecklenburgicae feminarum nulla mentio, ſed tantum der Lehens-Erben, fit. De Auſtria, Carinthia, Tyrolenſi, Catimelibocenſi, et Saynenſi comitatibus res certa eſt. Vid. ITTER. *cap. 14. §. 13. ſeqq.*

13. *Sed an extra illos caſus filia nihil ex feudo capit?*

Neg. niſi quod alimenta et dotem congruam ex feudo petere poſſit; et haec, ſi bona nulla hereditaria adſint, tam agnati, quam dominus ob aequitatis rationem ex feudo praeſtare debent. ANTON. *Diſp. VI. th. 8. litt. b.* VVLTEI. *cap. 9. n. 57.*

14. *Annon uero ex fructibus illius anni, quo deceſſit uaſallus, quid capiunt filiae?*

Eos capiunt, ſi poſt Kal. Mart. deceſſerit: *1. F. 28. ʃ. bis conſequenter.* quod idem in Pomerania *Concluſ. Pom. tit. 25. concl. 1.* In Marchia regulariter, ſi poſt diem Margarethae. KOHL. *de ſucc. coniug.*

coniug. qu. 9. n. 9. In Saxonia, si fructus rastro subacti. CARPZ. *Part. III. const. 32. def. 1.*

15. *Num uero masculi omnes ad successionem admittuntur?*

Aff. modo ad seruitia habiles sint.

16. *Quinam sunt inhabiles?*

Hi uel sunt *natura* tales, uel *lege*, uel *conuentione.*

17. *Qui natura inhabiles sunt?*

Qui ob defectum animi uel corporis ad seruitia praestanda apti non sunt. Quales sunt furiosi, dementes, muti, surdi, coeci, 2. *F. 36.* STRVV. *cap. 9. th. 10.* etiamsi haec uitia non sint connata, sed contracta tantum, ob identitatem rationis. LVDWELL. *Tract. feud. pag. 171.*

18. *Sed quid si post feudum adquisitum talis defectus superueniat?*

Non est priuandus feudo ob casum superuenientem, cum semel id iuste quaesiuerit. STRVV. *d. l. n. 5.* ANTON. *Disp. VI. th. 10. litt. e.* CARPZ. *Part. III. const. 28. def. 8.*

19. *Quid si feudum francum?*

Hic imperfecti admittuntur, cum ratio prohibendi cesset. STRVV. *d. l. num. 8.*

20. *Patre imperfectò excluſo, an hoc nocet filio perfecto?*

Neg. niſi feudum, antequam filius ſuſceptus, ad agnatos deuolutum. STRVV. *d. l. num.* 7.

21. *An hermaphroditus in feudum ſuccedit?*

Si maſculinus ſexus praeualeat, non repellendus, *arg. L. 10. D. de ſtat. hom.* cum nuſquam iure feudali contrarium ſtatutum. LVDWEL. *Tract. feud. p. 159.* Diſſentit BOCER. *de ſucceſſ. feud. cap. 2. quaeſt. 43.*

22. *Quinam lege ſunt inhabiles?*

Qui ob conditionis ſuae impedimentum a lege repelluntur, ut clerici, monachi: qui, etſi adquiſito iam feudo, tales fiant, feudo tamen priuandi. *2. F. 30. ſſ. ex hoc.* Non enim ita caſu inhabiles fiunt, ſed ſe ipſos tales reddunt. STRVV. *cap. 9. th. 10. n. 5.*

23. *Quid hodie iuris in clericis?*

Ex conſuetudine a feudi antiqui ſucceſſione excludi non ſolent; ſicut hoc in electoratu Saxoniae cautum: CARPZ. *Part. III. conſt. 28. def. 2.* STRVV. *cap. 9. th. 9.* niſi ubi ſeruitia in perſona praeſtanda: CARPZOV. *d. l. def. 4.* modo non ſint monachi. CARPZ. *d. conſt. 27. def. 3. num. 2.* HORN. *cap. 15. ſſ. 15.*

24. *Quinam conuentione?*

Si tempore ineundi matrimonii inuicem conueniant

ueniant coniuges, ut liberi inde nati, certa quantitate pecuniae accepta, hereditate abſtineant. 2. *F.* 29. LVDW. *Tract. feud p.* 187. Quod uocatur matrimonium ad morganaticam contractum; STRVV. *cap.* 9. *th.* 5. *n.* 9. ubi reſpondet ad text. 2. *F.* 26. §. *filii.* Vid. *ſupr. cap.* 7. *qu.* 2. *ſeqq.* Adcurate uero hic uerba pacti inſpicienda, quouſque a ſucceſſione excludendi ſint.

25. *Si plures unius gradus filii ſint, an aequaliter ſuccedunt?*

Affirm. ſi feudum ſit diuiduum: indiuidua uero, qualia ſunt feuda regalia, ad conſeruandam potentiam et dignitatem familiae, primogenito cedunt, 2. *F.* 55. §. *praeterea*, LVDWELL. *Tract. feud. p.* 189. Quamquam hodie in imperio multa regalia feuda diuiſionem admittant, licet in aliquibus primogenitura iterum recepta; de quo uide ITTER. *cap.* 12. §. 15. quae receptio conſenſu imperatoris fieri debet, ſoluta certa pecunia, cuius quantitatem pro diuerſitate principatus uel comitatus. Vid. infra in *Taxa dignit.* ſubiecta, *in Append. Num. V. p.* 471.

26. *Sed an ita ultrageniti plane a ſucceſſione arcentur?*

Non, ſed certa ipſis portio pro dignitate familiae aſſignatur, quae portio uel in numerata pecunia conſiſtit, uel in reditibus certorum praediorum, et communiter *appanagium* dici ſolet; uid. SPRINGENSFELD. *Tr. de appanag.* LIMN.

 ad

ad A. B. tit. 25. §. 2. obſ. 4. filiabus tamen appanagiatorum dos a principe regente praeſtari debet.

27. *Quid uero iuris in praediis aſſignatis habent principes appanagiati?*

Tantum uſumfructum pro ſe et deſcendentibus; non uero iurisdictionem, niſi haec ſimul expreſſe conceſſa. Territorialis uero ſuperioritas primogenito ſemper manet. MYLER. *de princ. imper. cap. 22. n. 3. et 4.* Titulum tamen plenum et omnia inſignia principes appanagiati in ſpem futurae ſucceſſionis retinent. REINKING. *de reg. ſaec. et eccl. Lib. I. cl. 4. cap. 16. n. 20.*

28. *Quis uero pro primogenito habendus, ſi filius unus ante adeptum feudum, alter poſtea natus?*

Qui antea natus; nam hic naturalis reſpectus potior eſt, et qualitas in perſona patris ſuperueniens etiam in filium antea natum redundat: *arg. L. 5. D. de ſenator.* et qui alicui ex filiis eius feudum concedit, ſine dubio liberos iam natos non excluſiſſe uidetur. LVDW. *Tract. feud. pag. 191.*

29. *Si primogenitus deceſſerit, an ſecundogenitus nepoti ex illo praeferendus?*

Neg. ob ius repraeſentationis, et ob tranſmiſſionem iuris in nepotem, inſuper magis primogenitura a natiuitate dependet, quam a morte; ex illa enim ius eſt, ex hac effectus; illud uero

tranſ-

transmittitur. ZOES. *ad D. tit. de suis et legit. hered. n. 15.* LVDWELL. *Tract. feud. p. 193.* Conf. *Text. A. B. tit. 7.* §. 2. ubi ob similem rationem extensio admittenda. Add. HERMENEGILD. DE ROXAS *de incompatibil. regnor. et maiorat. Part. I. cap. 6.* §. *13. n. 160.*

30. *Quid si primogenitus uitio aliquo laboret?*

Sic secundogenitus praefertur. LIMN. *ad A. B. cap. 7.* §. *2. obs. 11.* ROXAS *dict. tract. Part. II. cap. 6.*

31. *Potestne uero primogenitus suo iuri renunciare?*

Aff. *arg. L. penult. C. de pact.* MOLINA *de primogenit. Hispan. Lib. III. cap. 2. n. 21.* Hinc, uolente primogenito, secundogenito electoratum reliquit Fridericus, elector Brand. LIMN. *ad A. B. d.* §. *2. obs. 8.* Alia quaestio est, an ius suum cedere possit, h. e. in quemcumque alium transferre; et hoc negatur. An uero renunciare possit? Et hoc affirmatur, quia nemo inuitus etiam inter principes compellitur, esse heres; quo casu ius hoc non ceditur secundo, sed ipso iure ad eum deuoluitur. Exempla alia habet ITTER. *cap. 11.* §. *24.*

32. *Quomodo differt primogenitura a maioratu?*

Iure primogeniturae, quamdiu ex prima linea ali-

aliquis superest, ex aliis nemo admittitur; in maioratu uero non habetur respectus ad certam lineam, sed ad totam familiam, ita, ut ex agnatis semper succedat, qui aetate maior. RHET. *Comm. iur. publ. p. 310. n. 11.* Nisi tamen maioratus primogeniturae iunctus: ubi succedit, non qui in tota familia senior, sed qui in linea primogeniti.

33. *Quid, si non constet, quis ex filiis sit primogenitus?*

Rarus quidem hic casus est, potest tamen inter gemellos per incuriam fieri aliqua confusio. Varias sententias de hac materia adduxit TIRAQVELL. *de iur. primogenit.* Sed optima sententia est, ut res sorti committatur. ITTER. *cap. 12. §. 18.*

34. *Quid si filii et nepotes in successione feudi concurrant?*

Nepotes perinde, ut de iure ciuili, locum parentis occupant, et ita cum filiis admittuntur: STRVV. *cap. 9. th. 9. n. 2.* quae repraesentatio, etiamsi nepotes inter se soli concurrant, obtinet. STRVV. *d. l. num. 3.*

35. *Quousque uero ius repraesentationis iure feudali extenditur?*

In infinitum; *1. F. 1. §. hoc quoque, in fin.* etiamsi feudum pro se et filiis concessum, ob praesumtam feudum adquirentium intentionem. LVDWELL. *Tract. feud. p. 197.* SCHRADER. *Part. VII. cap. 5. n. 2.*

36. *An*

36. *An liberi emancipati in feudo ſuccedunt?*

Aff. quamuis enim emancipatione tollatur agnatio: §. *fin. Inſt. de legit. agnat. tutel.* ius feudale tamen agnationem latius capit, et omnibus maſculis, a primo adquirente ſanguinem trahentibus, tribuit; LVDWELL. *Tract. feud. p. 80.* et hinc ad patriam poteſtatem non reſpicit.

37. *Succeduntne liberi naturales?*

Neg. 2. *F.* 26. §. *naturales*, etiamſi feudum ſit femininum, cum ius feudale in genere legitimam natiuitatem requirat. STRVV. *cap. 9. th. 3. n. 7.* Nec ſuccedunt, etiamſi liberi legitimi deficiant. SCHRAD. *Part. VII. cap. 5. num. 20.*

38. *Quid uero, ſi quis natus ex ſponſa ante benedictionem ſacerdotalem?*

Hic ſuccedit, ſi modo plene conſenſum ſit in matrimonium; nam benedictio eſt caerimonia eccleſiaſtica, iure ciuili et feudali incognita. STRVV. *cap. 9. th. 3. n. 13.*

39. *An ſuccedunt legitimati per ſubſequens matrimonium?*

Affirm. quia in omnibus legitime natis comparantur. CARPZ. *Part. III. conſt. 28. def. 17.* STRVV. *d. th. 3. n. 12.* Non obſtat *cap. naturales* 2. *F.* 26. Vid. *Tr. noſtr. de ſucceſſ. ab inteſt. Diſp. I. cap. 3. ſ. 28.* Et procedit haec ſententia, etiamſi feudum ſit conceſſum pro ſe et liberis legitime natis. SCHRAD. *Part. VII. c. 5. n. 21.*

40. *Sed*

40. *Sed an in feudis imperii maiores succedunt?*

Affirm. prolixe rationibus et exemplis defendit MYLERVS in *Gamolog. princip. imp. cap. 24. n. 2.* quod et probat ITTER. *de feud. imp. cap. 14. §. 2.* ubi §. *3.* hoc extendit ad casum, si alii liberi legitimi adsint, licet ius primogeniturae excipiat; de quo dubito, si specialia illius domus statuta aut pacta doceri nequeant. In Marchia Brandenburgica speciali edicto cautum, ne tales legitimati in feudis succedant.

41. *An succedunt legitimati per rescriptum principis?*

Neg. *d.* §. *naturales*, nisi in specie ad feudi successionem sint legitimati. GAIL. *obseru. Lib. II. cap. 140. n. 6.* Et is, qui legitimat, simul sit dominus feudi, uel dominus alias in legitimationem consenserit. SCHRAD. *d. c. 5. n. 23.*

42. *Sed num haec legitimatio ualebit in praeiudicium agnatorum?*

Neg. sed tantum in praeiudicium domini legitimantis, si alii successores non adfuerint: alias agnatorum consensu in feudo antiquo opus erit, ne his ius ex prima inuestitura quaesitum auferatur. STRVV. *d. th. 3. num. 9.*

43. *Sed cur in allodialibus ualet legitimatio, facta cum clausula:* non obstante?

Quia ibi successio agnatis debetur ex sola dispo-

positione iuris ciuilis, cui derogare princeps potest: hic uero debetur successio ex pacto primi adquirentis; iuri uero ex contractu quaesito non derogari potest ab altero, cum quo pactum initum, quia hic dominus feudi.

44. *Quid in legitimatis per oblationem curiae?*

Regulariter non succedunt, nisi in feudo, post oblationem quaesito, modo constet de domini feudum concedentis uoluntate. LVDW. *Tr. feud pag. 163.*

45. *An adoptiui succedunt?*

Neg. 2. F. *26.* §. *adoptiui*, quia feuda sanguini dantur; adoptio uero ius sanguinis non tribuit. *L. 23. D. de adopt.* Insuper adoptio in praeiudicium domini et agnatorum tenderet, cum numquam feudum ad ipsos reuerteretur; STRVV. *d. th. 3. num. 5.* quod idem quoque in feudis imperii obtinet: ITTER. *cap. 14. §. 8.* si tamen dominus et agnati in adoptionem consentiant, dubium non est, quin succedant. ANT. *Disp. V. th. 6. litt. e.* Sicut et exceptio est in feudo hereditario. ITTER. *d.* §. *8.*

CA-

CAPVT XVI.

DE SVCCESSIONE ADSCENDENTIVM ET COLLATERALIVM.

GENERALIA CAPITIS.

1. Quoad adſcendentium et collateralium ſucceſſionem generalis regula eſt: *quicumque a primo adquirente ſanguinem non trahit, aut ſimultanee inueſtitus non eſt, ille in feudum non ſuccedit.*

2. Vbi ergo illius generis collaterales concurrunt, qui a primo adquirente deſcendunt, illi ſuccedunt aequaliter, ſicuti de iure communi, excluſis tantum, qui per feminas coniuncti, niſi feudum ſit femininum.

1. *Succeduntne adſcendentes in feudo?*

Neg. 2. F. 50. Liberis enim uaſallus proſpicere uoluit, non aliis. VVLTEI. *cap. 9. n. 101.*

2. *Quid in feudo antiquo?*

Hic regulariter caſus dari non poteſt, quia hoc feudum per mortem demum patris ad filium deuoluitur. STRVV. *cap. 9. th. 3. n. 2.* Si tamen caſus detur, e. gr. ſi pater in gratiam filii feudo antiquo renunciauerit, LVDW. *Synopſ. p. 250.* uel ſi auus, non contradicente filio, feudum in nepotem tranſtulerit, hic uero ſine liberis deceſſerit, ad patrem reuertitur feudum. ROSENTH. *c. 7.*

cap. 7. concl. 14. n. 9. Quamuis ſic proprie non adſit ſucceſſio, ſed feudum reuertatur, ob ceſſantem cauſſam.

3. *Quid ſi feudum nouum iure antiqui concedatur?*

Hic pater ſuccedit, cum et fratres admittantur, quibus tamen pater poſtponendus non eſt. STRVV. *cap. 9. th. 3. n. 4.*

4. *Quando uero admittitur pater?*

Si ei per pactum inueſtitura proſpectum, 2. F. 84. uel feudum ob bene merita patris filio ſit conceſſum, ubi patrem a ſucceſſione excluſiſſe non cenſetur dominus, BEIER. AD SCHNOBEL. *Diſp. feud. VII. th. 5.* Vel ſi feudum ſit mere hereditarium. LVDW. *Synopſ. p. 206.* Vel ſi conſuetudine aut ſtatuto id alicubi receptum: ANT. *Diſp. V. th. 6. litt. b.* ubi tamen conſuetudo loci, ubi feudum ſitum, attendenda. SCHRAD. *Part. VII. cap. 6. num. 4.*

5. *Quid ſi feudum conceſſum pro ſe et heredibus?*

Nec ſic admittitur pater, cum heredum appellatione in iure feudali filii tantum intelliguntur. *c. ſi clientulus 1. F. 13.* LVDW. *Tract. feud. p. 178.*

6. *Sed an eo caſu, ubi pater ad ſucceſſionem admittitur, fratres cum eo concurrunt?*

Affirmant hoc in genere LVDW. *Synopſ. pag. 207.* SCHRAD. *Part. VII. cap. 6. n. 10.* cum hic

casus iure feudali non sit decisus. Sed concedimus hoc, si feudum sit hereditarium; alias non, quia iure feudali illi succedunt, qui ex eadem linea sunt; qua deficiente demum, qui ex alia. 2. *F. 50. in fin.* STRVV. *d. th. 3. n. 3.*

7. *Nunne collaterales in feudo succedunt?*

Affirm. modo simul ex primo adquirente sanguinem trahant per lineam masculinam. *Cap. uasalli 2. F. 3. in fin.* Hinc tamen male colligit VVLTEI. *cap. 9. n. 102.* in feudo successionem omnem esse descendentium: nam licet primi adquirentis descendentes sint hi, qui succedunt, tamen uasalli ultimo defuncti collaterales sunt; hinc et ex latere uenientes dicuntur, 2. *F. 50.* nec succedunt, prout primo adquirenti proximi sunt, sed prout uasallo ultimo defuncto. *Vid. qu. 17.* LVDW. *Tr. feud. p. 201.*

8. *An uero primi adquirentis collaterales succedunt?*

Neg. adeo, ut et frater excludatur, 1. *F. 2. uers. fin. autem.* nisi uel speciali pacto, seu per simultaneam inuestituram ipsis prospectum, 2. *F. 12.* uel feudum nouum iure antiqui feudi concessum. STRVV. *cap. 5. th. 4. n. 1.* LVDW. *Tract. feud. p. 204.* RHET. *Comm. iur. feud. p. 99.*

9. *Quid si uero princeps duobus fratribus feudum donauerit, an altero decedente, succedit alter?*

Aff. ob largiorem interpretationem liberalitatis

tis principis, iuxta diſpoſitionem *L. un. C. ſi liber. imp. ſoc. ſin. hered. deceſſ.* quam etiam in feudo obtinere, communiter aſſerunt BRVNNEM. *Comm. C. ad d. L. un.* SCHRAD. *de feud. Part. VII. cap. 1. n. 11.*

10. *An in collateralibus cognationis et agnationis differentia obtinet?*

Affirm. quamuis iure ciuili illa ſublata per *Nou. CXVIII. cap. 4.* nam iure feudali familiarum ratio habetur, et hinc cognati, utpote per feminas iuncti, excluduntur. *2. F. 11. pr.* STRVV. *cap. 9. th. 3. n. 3.* quo caſu tamen feminae in feudo ſuccedunt, nec cognati erunt excludendi, ſi a primo adquirente deſcendant.

11. *An frater germanus excludit conſanguineum?*

Hoc quidem fit iure ciuili, ſed non feudali, cum aeque ſanguinem a primo adquirente trahat. LVDW. *Tr. feud. p. 209.* Nec obſtat duplicitas uinculi; haec enim nihil operatur, quoties uinculum unum eſt impertinens, ut hoc caſu maternum. GAIL. *Lib. II. obſ. 151. n. 1.* STRVV. *cap. 9. th. 6. n. 6.* Quod ſi feudum femininum eſſet, tunc uinculum paternum foret impertinens.

12. *Quid uero de uterinis?*

Hi a germanis et conſanguineis excluduntur, nam matris reſpectus non attenditur. Niſi tamen feudum fuerit femininum a communi ma-

tre quaesitum, ubi uterinus pariter succedit, cum aeque a prima adquirente sanguinem trahat. ROSENTHAL. *cap. 7. concl. 57. n. 4.* Hinc et consanguineus frater hoc casu plane excluditur. STRVV. *cap. 9. th. 6. n. 2.* ZOES. *de feud. cap. 10. n. 52.*

13. *Quid si et fratres fratrum filii in successione concurrant?*

Aut succedunt patruo, aut remotiori agnato: illo casu fratres in capita, fratrum filii in stirpes et iure repraesentationis concurrunt, *2. F. 11. §. bis uero*, perinde ut iure ciuili, *Nou. CXVIII. cap. 3.* quod et in feudo antiquo, siue ex pacto et prouidentia obtinet. LVDW. *Synops. p. 226. et Tr. feud. p. 210.* Hoc casu fratrum filii plane excluduntur, cum ultra patrui successionem repraesentatio nulla in collateralibus obtineat. CARPZ. *Part. 3. const. 39. def. 7. n. 6.* LVDWELL. *Tract. feud. p. 220.*

14. *An uero consanguineorum fratrum filii cum germanis fratribus concurrunt?*

Affirm. quia aequale ius habent, dum partis respectus hic tantum attenditur. Vid. *quaest. 11.* CARPZOV. *d. const. 29. def. 5.* ZOES. *de feud. cap. 12. §. 44.*

15. *Quid si fratrum filii soli sint?*

In capita succedunt, cum iure feudali hoc aliter non sit decisum. Et facit ratio, quod omnes

ex

ex aequo defunctum attingant. Ergo ut ex aequo in feudo ſuccedant, iuſtum eſt. STRVV. *cap. 9. th. 6. in fin.*

16. *Quid ſi fratrum filii cum patruo defuncti concurrant?*

Iure ciuili patruus excluditur, *Nou. CXVIII. c. 3.* quod idem iure feudali. Quamuis enim aequali gradu ſint, patruus tamen ex diuerſa linea eſt, et hinc etiam a fratris nepote excluditur, ZOES. *de feud. cap. 10. §. 48.* ſcil. in feudis: aliud enim hoc caſu in allodialibus, ubi poſt fratrum filios proximus ſuccedit indiſtincte.

17. *Quomodo itaque proximitas aeſtimatur?*

Non ratione primi adquirentis, ſed ratione uaſalli ultimo defuncti, cui ſucceditur, et quidem ita, ut primum, qui in eadem linea ſunt, ſeu in eodem ſtipite proximo cum defuncto concurrunt, admittantur, qua linea deficiente, iterum ad ſtipitem proxime ſequentem recurrendum, et ita conſequenter; ut, ſi primum de linea, poſtea de gradu, laborandum, *Arg. 2. F. 50.* ZOES. *de feud. cap. 10. ʃʃ. 40.* STRVV. *cap. 9. th. 7. n. 4.* LVDW. *Tract. feud. pag. 216.* EYBEN. *Elect feud. cap. 7. §. 14.*

18. *Quae graduum computatio iure feudali ſeruatur?*

Non canonica, quae tantum in nuptiis obtinet, ſed ciuilis, quam alias quoque in ſucceſſioni-

bus et tutelis sequimur. STRVV. *d. th.* 7. *num.* 9. LVDW. *Tr. feud. pag.* 217.

19. *Quousque agnati in feudis succedunt?*

Antiquitus quidem ad quartum et septimum gradum successio fuit restricta: *1. F.* 8. §. *hoc quoque*, postea uero in infinitum extensa, *1. F. 1.* §. 4. 2. *F.* 31. ut sic textus diuersimode loquentes, ex diuersitate temporum conciliandi. STRVV. *cap.* 9. *th.* 7. *n.* 1. LVDW. *Tr. feud. p.* 221.

20. *Quid camara imperialis hac in parte obseruat?*

Ibi distinctio recepta, an feudum semel ad descendentes, et ab his ad collaterales peruenerit; an a primo adquirente statim ex pacto ad collaterales transierit. Illo casu in infinitum; hoc ad septimum gradum succeditur, e. g. Titio et agnatis eius concedo feudum, Titius sine filiis decedit, et agnatum octauo demum gradu relinquit, qui excluditur. GAIL. *Lib. II. obs.* 150. ANTON. *Disp. V. th.* 7. *litt. k.*

21. *An successori feudali liberum est, repudiato allodio, succedere in feudo?*

Distinguendum inter filium et agnatum: ille utrumque aut acceptare, aut repudiare debet; etiamsi feudum sit ex pacto et prouidentia, ut putant STRVV. *cap.* 9. *th.* 11. *n.* 1. VVLT. *cap.* 9. *n.* 114. hic uero in feudo solo succedere potest. 2. *F.* 45. 2. *F.* 51. §. *filius.* Ratio, quia filius feudum directe

recte a patre habet, agnatus uero a primo adquirente. STRVV. *cap. 9. th. 11. n. 4.* Vid. ſupr. *cap. 9. qu. 49.* Exceptio eſt in feudo mere hereditario. LVDW. *Tr. feud. p. 136.* ZOES. *cap. 10. n. 49. ſequ.*

22. *Numne coniuges ſibi in feudo ſuccedunt?*

Neg. 1. F. 15. niſi pactum tale in inueſtitura adiectum; uel feudum ſit mere hereditarium, ubi maritus in feudo uxoris tantam habebit partem, quantam alias in hereditate. LVDW. *Tr. feud. p. 316. cap. 9. n. 122.*

23. *Quid ſi ambo coniuges de feudo ab initio inueſtiti?*

Nec ſic ſibi ſuccedunt, ſed mariti pars ad dominum feudi reuertitur, 2. F. 104. *in fin.* niſi expreſſe hoc actum, quod ſibi ſuccedere debeant. GVDELIN. *de feud. Part. III. cap. 5. n. 11.* Vid. *ſupr. cap. 4. qu. 11.*

24. *Quinam porro in feudo ſuccedunt?*

Simultanee inueſtiti, ſeu quibus per inueſtituram in caſum certae lineae deficientis proſpectum, die Mitbelehnten, oder welche die geſammte Hand haben. STRVV. *cap. 9. th. 14. 15. 16.* Vid. *ſupr. cap. 12. qu. 46. 47.*

25. *Quid ſingulare in ſucceſſione collateralium iure Saxonico?*

Eo iure nec in nouo, nec in antiquo feudo collaterales ad ſucceſſionem admittuntur, niſi

ſint ſimultanee inueſtiti: BERLICH. *Part. II. concl. 53. n. 6.* modo hi ſimultaneam inueſtituram omni caſu renouauerint, (wann ſie der geſammten Hand auf alle Fälle gebührende Folge geleiſtet.)

26. *Quomodo uero ibi ſuccedunt plures ſimultanee inueſtiti?*

Omnes admittuntur, licet ſint gradu remotiores, niſi adiecta ſit clauſula: *ſecundum gradus praerogatiuam*, (nach Recht der Sippzahl,) quae operatur, ut ad ductum iuris communis ſuccedatur. CARPZ. *Part. III. conſt. 29. def. 11. 12.* STRVV. *cap. 9. th. 16. n. 4.*

27. *Quid eſt ſucceſſio ex iure confraternitatis?*

Quando ex pacto inter familias illuſtres inito, ad aliam ſucceſſio feudorum illuſtrium deuoluitur. Vid. CARPZ. *Diſſ. de pact. confratern. Saxon. Haſſ.*

28. *Quotuplicia ſunt haec pacta?*

Vel *uniuerſalia*, quae ſucceſſionem in omnia confratris bona inferunt; uel *particularia*, quae certas tantum prouincias reſpiciunt. Deinde ſunt uel *bilateralia*, quae ſucceſſionem reciprocam reſpiciunt, quale pactum eſt inter domum Saxonicam et Haſſiacam; uel *non reciproca*, quorſum referunt ſucceſſionem Suecicam in Pomeraniam electoralem, exſtincta domo Brandenburgica: *Inſtrum. pac. art. 10. §. 4.* ITTER. *de feud. imp. cap. 7. §. 7.* quamuis quoad Sueciam haec ſpe-

ſpecialis ratio concurrat, quod Regnum non moriatur.

29. *Anne uero libere familiis illuſtribus ita paciſci licebit?*

Non, ſed conſenſu ac confirmatione imperatoris, tamquam domini feudi, opus eſt, LIMN. *iur. publ. Lib. IIII. cap. 8. n. 154.* quamuis hodie in feudis maioribus nec ſolius imperatoris conſenſus ſufficiat, ſed accedat neceſſum eſt conſenſus electorum, ſine quo neminem uel inueſtire, uel exſpectantiam de ducatu uel principatu uocaturo concedere poteſt. *Cap.* LEOP. *art. 30.* CARPZ. *d. diſſ. th. 47.* Exceptio eſt in electoratu, quem uacantem ſolus imperator alteri concedere poteſt. LIMN. *Lib. III. cap. 7. n. 69.*

30. *Sed quid dicendum de confraternitate Saxonico-Brandenburgico-Haſſiaca?*

Renouata illa a. 1614. quam integram refert LIMN. *Iur. publ. Lib. IIII. cap. 8. n. 172.* et electoratum quoque continet, ita ut hic, ſiue Saxonica, ſiue Brandenburgica domus deficiat, Haſſiae cedat, ubi deficit quidem confirmatio imperatoris, generaliter tamen acceſſiſſe cenſetur per *Capitul.* LEOPOLD. *art. 6. in. fin.*

31. *Valebitne uero pactum confraternitatis ſine conſenſu ſubditorum?*

Neg. hoc BETS. *de pact. fam. illuſtr. cap. 5. p. 125.* Verum cum ad alienationem feudi nil ni-

ſi conſenſus domini requiratur: idem quoque obtinebit in confraternitate. GÜTTICH. *de confratern. th.* 7. In alienatione tamen regnorum, ſtatuum conſenſum deſiderat GROT. *Lib. II. cap.* 6. *§.* 7. *ſequ.* Sicut et in illis prouinciis, ubi princeps per litteras reuerſales ad conſenſum ſtatuum adſtrictus eſt. ITTER. *cap.* 17. *§.* 11.



CAPVT XVII.

DE

RENOVATIONE INVESTITVRAE A SVCCESSORE FEVDI PETENDA, ET LAVDEMIO.

GENERALIA CAPITIS.

1. Quia domino feudi conſtare debet, quem uaſallum habeat: hinc neceſſarium, ut, defuncto uaſallo, nouus ſucceſſor nomen apud principem uel dominum profiteatur, et inueſtituram, defuncto collatam, in ſua perſona renouari, ſe uero ad fidelitatis praeſtationem admitti petat.

4. Quotieſcumque itaque mutatio in perſona domini uel uaſalli contingit, toties petenda eſt renouatio ab illo, qui ſuccedit.

1. *Quid eſt* renouatio inueſtiturae?

Eſt feudi legitime quaeſiti ob dominum uel uaſallum mutatum ſollemniter facta confirmatio. LVDW. *Tr. feud. pag.* 318. Vnde

de et primae inueſtiturae recognitio dicitur. ANTON. *Diſp. VIII. th. 1. litt. b.*

2. *Quis petere debet renouationem inueſtiturae?*

Omnis in feudo ſucceſſurus, cuiuſcumque conditionis ſit, etiam ſi primus pro ſe et ſucceſſoribus ſuis inueſtituram acceperit, cum fides iurantis ad heredes non tranſeat, LVDW. *Tr. feud. p. 328.* ſcil. quoad uinculum periurii, licet bene, quoad uinculum obligationis.

3. *An ergo et exſpectatiuam habens?*

Neg. ne quidem in foro Saxonico, niſi poſtquam caſus uocantis feudi exſiſtit; non enim antea ius reale in feudo habet exſpectiuatus. CARPZ. *Part. II. conſt. 45. def. 10.*

4. *Quid ſi plures unius uaſalli heredes?*

Omnes renouationem petere, et fidelitatem praeſtare debent 2. *F.* 26. *ſ. omnes filii*, STRVV. *cap. 10. th. 3. n. 1.* LVDW. *d. l.* Vel etiam unus nomine omnium; nam in effectu una tantum fidelitas. Vid. *ſupr. cap. 13. qu.* 7. Et hic uocatur der Lehen-Träger.

5. *Quando petenda renouatio inueſtiturae?*

Mutato domino uel uaſallo, ſiue morte id contingat, ſiue alienatione feudi, ſiue felonia. STRVV. *d. cap. 10. th. 2. 3.*

6. *Quid*

6. *Quid ſi unus ex dominis moriatur?*

Diſtingu. aut liberos reliquit, aut non: illo caſu renouatione opus, non hoc caſu; quia ſic defuncti pars ad reliquos condominos tranſit. STRVV. *tb. 2. n. 2.*

7. *Quid ſi unus ex uaſallis moriatur?*

Itidem diſtinguendum, an liberos reliquerit, an non: illo caſu renouatio petenda; hoc caſu feudum aut fuit diuiſum, aut non: ſi diuiſum, renouatione opus eſt, cum nouam feudi partem adquirant reliqui, ergo hoc nomine fidelitatem praeſtabunt; ſecus, ſi indiuiſum. STRVV. *d. tb. 3. n. 2.*

8. *Sed annon agnati remotiores etiam renouationem inueſtiturae petere debent?*

Non, niſi ſucceſſio ad eos deuoluta. LVDW. *Tr. feud. p. 332.* VVLT. *Lib. I. cap. 7. n. 81.*

9. *Quid uero iure Saxonico in ſimultanee inueſtitis?*

Ibi quocumque caſu, ſiue dominus, ſiue uaſallus moriatur, petenda renouatio a ſimultanee inueſtito, etiamſi ad hunc ſucceſſio non deuoluta. CARPZ. *Part. II. conſt. 45. def. 17.* BERLICH. *Part. II. concl. 53. n. 29.* Vid. *ſupr. cap. 12. in fin.*

10. *Quid ſi uero alibi domicilium habens, in Saxonia ſimultaneam inueſtituram habeat?*

Hic feudum non amittit, ſed ob abſentiam a non

non petita renouatione excusatur, modo tempore delati feudi semet offerat. BERL. *d. concl. 53. n. 38.* CARPZ. *def. 20. in fin.*

11. *An in Marchia quoque simultanee inuestitus renouare feudum debet?*

Renouanda saltem inuestitura, si dominus feudi, non si uasallus moriatur, per *Const. elect. de a.* 1602. *d.* 1. *Decemb.* quam refert SCHEPLITZ. *in Prompt. tit. 6. §. 3. n. 47.* Verum hodie omni casu renouationem petendam esse, cautum *Edicto electorali de a.* 1683. *d.* 31. *Dec.*

12. *Intra quantum tempus petenda renouatio?*

Intra annum et diem a facta mutatione. *2. F. 24. pr.* Nec obstat 1. *F.* 22. ubi annus et mensis statuitur. R. enim dies in priori textu non naturaliter, sed ciuiliter capitur, pro spatio temporis breuioris annum excedentis. STRVV. *d. c.* 10. *th. 7. num. 2.* Quamquam alii hic inter paganum et militem distinguant, et de hoc textum 1. *F.* 22. intelligant. ANTON. *Disp. VIII. th. 3. litt. a.* LVDW. *tract. feud. p. 372.*

13. *Nunne statim currit hoc tempus?*

Neg. sed a die scientiae, scil. mortis, uasalli, uel domini; ignoranti enim succurritur, modo probabilis fuerit ignorantia, LVDW. *Tr. pag. 383.* CARPZ. *d. const. 45. def. 20.* et eam iuramento probare possit uasallus.

14. *Poteſtne dominus hoc tempus coarctare, uel prorogare?*

Neg. quia illud tenderet in praeiudicium uaſalli. Prorogatio uero perinde inuito uaſallo non ualebit, cum huius intereſſe poſcit, inueſtituram non differri. Ergo hic terminus uaſallo ad petendam, domino ad concedendam, renouationem praefixus. LVDW. *pag. 380.* STRVV. *th. 7. n. 3.* Deſiderante ergo uaſallo, prorogatio conceditur etiam in aula caeſarea, ubi quouis menſe pro indulto princeps ſoluit 15. florenos.

15. *Quid ſi tempus hoc non obſeruauerit uaſallus?*

Feudo priuatur, 2. *F. 24. pr.* non tantum ipſe, ſed et liberi: 2. *F. 31.* poſt mortem tamen uaſalli et liberorum feudum ad agnatos reuertitur. STRVV. *cap. 10. th. 8. n. 5.*

16. *Sed ex quibus cauſſis uaſallus excuſari poteſt?*

Excuſatio oritur uel ex perſona domini, ut, ſi hic abſens, uel inimicus uaſalli capitalis, uel infans et tutore deſtitutus ſit, uel, ſi cum alio de feudi dominio litiget; uel ex perſona uaſalli, ſi hic abſens, uel pupillus ſit, CARPZ. *Part. II. conſt. 45. def.* 18. 19. uel intra tempus moriatur, ubi nouo ſucceſſori de nouo tempus currit, uel ſi in iuſta ignorantia ſit, uel alio iuſto impedimento detineatur. STRVV. *cap.* 10. *th. 9.* ANT. *Diſp. VIII. th. 4. 5.* LVDW. *Tr. pag. 369.*

17. *Quid*

17. *Quid si duo imperatores electi, dissentientibus electorum suffragiis?*

Neutri se ad inuestituram offerre tenetur. ITTER. *cap. 9. §. 6.* Quando tamen de successione in principatum plures controuertunt, ille, qui possessionem adeptus est, potior erit, quia illi debentur commoda possessionis, quorsum etiam pertinet recognitio feudorum. Vid. *supr. cap. 13. qu. 7.*

18. *Quid si feminae successio feudalis delata?*

Et haec ad renouationem inuestiturae est obligata, nisi feudo priuari uelit, nec ignorantia iuris feminam hoc casu excusabit. LVDW. *Tract. p. 324. sequ.*

19. *An in feudo rustico etiam renouatio petenda?*

Iure communi et hic renouatio petenda, cum nuspiam rusticis remissa. LVDW. *Tr. p. 36.* Moribus tamen id non ita stricte exigi solet, ROSENTH. *c. 7. concl. 32. n. 3.* quod in Saxonia certum. CARPZ. *d. const. 45. def. 21.*

20. *Teneturne singularis successor renouationem petere?*

Si is, qui feudum consensu domini emit, sit agnatus, renouatio ipsi petenda; *2. F. 24.* sic enim manet feudum antiquum: *2. F. 14.* si uero sit extraneus, renouationem intra tempus ordinarium petere necessum non habet, sed potest exspe-

exſpectare citationem domini, quia ſic fit feudum nouum. LVDW. *Tr. p. 327.* In Marchia tamen et hoc caſu annus obſeruandus. *Cit. Edict. de a.* 1683.

21. *An uaſallus renouationem inueſtiturae in propria perſona petere debet?*

Neg. uid. *ſupr. cap. 12. qu. 22.* unde et aliae quaeſtiones repetendae. Quidquid enim iuris eſt in prima inueſtitura, idem etiam regulariter iuris in eius renouatione.

22. *Quomodo petenda inueſtitura?*

Humiliter et deuote. 2. F. 33. *uerſ. quomodo enim.* Hinc hodie principes imperii trina genuum flexione ab imperatore inueſtiturae renouationem petunt. *Vid. Sollemnia in Append. Num. I. ſeqq.* Ad fidelitatem uero ut ſimul ſe offerat uaſallus, neceſſarium non eſt, cum id tacite ſubintelligatur. LVDW. *Tr. p. 354.*

23. *Quid ſi dominus extra territorium ſit conſtitutus?*

Non tenetur eum ſequi uaſallus, niſi ſit in uicinia; ſi tamen procuratorem dominus reliquerit, ab hoc renouatio petenda. LVDW. *Tr. p. 363.* Apud nos ordinarie in cancellaria feudali petitur.

24. *Sed in quo loco renouatio inueſtiturae feudorum imperii petenda?*

Regulariter reſpondent in aula imperatoria, quae cum olim ambulatoria fuerit, certus locus ad

ad id praefixus non fuit. Hodie, cum ordinaria ſedes Viennae ſit, ibi petenda inueſtitura. ITTER. *cap. 9. §. 3. et cap. 11. §. 3.* Inueſtiturae extra imperium petitae exemplum eſt in domo Brandenburgica, quae Budae in Hungaria inueſtituram de electoratu a Sigiſmundo recepit.

25. *Qualibus inſtrumentis renouatio probari ſolet?*

Aut probanda eſt petitio inueſtiturae, et hoc nomine a domino breue teſtatum uaſallo dari ſolet, German. ein Mut-Zettel, cui opponitur petitio uaſalli, der Anſinnungs-Zettel, STRVV. *cap. 10. th. 4.* Aut probanda ipſa inueſtiturae renouatio, quod fieri ſolet per ipſum inueſtiturae inſtrumentum renouatum. STRVV. *d. c. 10. th. 6.*

26. *Quales teſtes ſunt neceſſarii?*

Pares curiae: uid. *ſupr. cap. 12. quaeſt. 9. ſeqq.* quamuis in renouatione inueſtiturae hoc non ita ſtricte requirantur, quam in noua inueſtitura, *c. inueſtitura pr. F. 2.* LVDW. *Tr. feud. p. 300.* immo hodie plane negliguntur.

27. *Quid praeſtari ſolet a petente renouationem?*

Laudemium, quod eſt certa pecunia domino feudi pro receptione noui uaſalli ſolui ſolita. FRANTZK. *de laudem. cap. 2. n. 1.*

28. *Vnde dicitur* laudemium?

Dicitur a *laudare*, quae uox ratione domini ex-

explicari poteſt, ut idem ſit, quod approbare; pro eo enim ſoluitur, quod dominus approbet nouum uaſallum; uel ratione uaſalli, quod is laudemium in laudationem et recognitionem domini ſoluat. FRANZK. *d. tr. cap. 1. n. 7. et 10.* Dicitur alias *releuium*, Germ. Lehen-Waare, Lehen-Geld.

29. *Quo iure uero laudemium exigitur?*

Iure feudali hoc non debetur, ſed renouatio fieri debet gratis. FRANTZK. *cap. 4. n. 9.* Conſuetudini ergo adſcribendum, quae ſi probata non fuerit, non grauandus eſt uaſallus laudemio, ſed ſufficit, ſi pro inſtrumento inueſtiturae cancellariae ſportulas ſoluerit. LVDW. *Tract. feud. p. 356.* RHET. *Comm. iur. feud. p. 456. n. 13. ſequ.* Conſuetudinem uero dominus allegans probare debet. STRVV. *cap. 10. th. 16.*

30. *Sed an et principes imperii laudemium imperatori praeſtant?*

Neg. et quidem electores exemti ſunt per *A. B. cap. 29. §. 1.* ſoluunt tamen aliquid miniſtris aulicis: principes imperii ſuper etiam officialibus hereditariis, denen Hof-Aemtern, aliquid ſoluunt. Vid. *Append. Num. VI.* VFFENBACH. *de iudic. aulic. cap. 11. pag. 124.* Poſtulati epiſcopi Euangelicorum ultra hanc taxam adhuc dimidiam ſoluunt. *Inſtrum. pac. art. 5. §. 21.*

31. *Quantum debet eſſe laudemium?*

Iure ciuili in emphyteuſeos alienatione quinqua-

quagesima pars pretii solui solet, *L. fin. C. de iur. emphyt.* CARPZ. *Part. II. const. 39. def. 11.* quod et in hoc ducatu obseruatur. *Ord. polit. cap. 48. §. 3.* In feudis cuiusuis loci mores inspiciendi: in Saxonia est uigesima pars pretii feudi. CARPZOV. *Lib. I. resp. 90. n. 2.* COLER. *dec. 33. n. 3.* Aliorum locorum consuetudines recenset FRANTZK. *de tract. cap. 23. n. 13.* In Marchia non pretium feudi, sed quantitas seruitiorum attendi solet, et pro quouis equo feudali soluuntur 25. thaleri.

32. *Quo casu praestandum est laudemium?*

Regulariter, quotiescumque uasallus mutatur, seu feudum in extraneum alienatur uel transfertur: STRVV. *cap. 10. th. 13. n. 1.* non, si mutetur dominus; sic enim uasallo de nouo nihil conceditur, pro quo laudemium praestet. CARPZOV. *Part. II. const. 39. def. 28.* nisi haec consuetudo inducta. STRVV. *d. l. th. 14.*

33. *Quid si ab emtione perfecta iterum recedant, et feudum ad priorem uasallum reuertatur?*

Nihilominus soluendum laudemium, si scil. uenditio per traditionem consummata. Quamuis enim feudum in pristinum statum iterum perueniat: attamen hoc fit per nouam uenditionem, quae nouam laudemii praestationem exigit. CARPZ. *Part. II. const. 39. def. 13. n. 9.*

34. *Annon ergo omnes in feudum ſucceden-tes id praeſtant?*

Regulariter non, ſi in prima inueſtitura comprehenſi; et ſic forte hic contrarium conſuetudine inductum, tamen haec ſtricte intelligenda de collateralibus ſaltem, non deſcendentibus, STRVV. *cap. 10. th. 16.* quamuis et in his ſpecialis conſuetudo ualeat. CARPZ. *Part. II. conſt. 39. def. 22.*

35. *Quid ſi uero liberi coniunctim laudemium ſoluerint, et poſtea diuiſerint feudum?*

Non tenentur denuo uel pro ſingulis partibus ſoluere. Quamuis enim diuiſio ſit ſpecies alienationis: hic tamen nihil noui adquirunt liberi, nec poſſeſſorum perſona uera mutatur. CARPZ. *d. l. d. 23.* FRANTZK. *de laudem. cap. 8. n. 117.*



CAPVT XVIII.

DE

OBLIGATIONE FEVDALI INTER DOMINVM ET VASALLVM.

GENERALIA CAPITIS.

1. Cum per inueſtituram dominium utile transfferatur in uaſallum: omne illud, quidquid ad feudi utilitatem promo-

mouendam pertinet, libere facere poteſt uaſallus, modo nihil praeiudicii inde contingat domino directo.

2. Vice uerſa cum dominus intuitu feudi ob conceſſam utilitatem uaſallum ad ſeruitia obligatum habeat: dominus quoque facere tenetur, ut uaſallus feudo libere frui poſſit. Hinc non tantum poſſeſſionem feudi in illum transferre, ſed etiam ſecurum in poſſeſſione reddere debet.

3. Seruitia uero haec reſpectum habent ad utilitatem feudi, et pro eius quantitate determinanda. Praeſtanda autem ſunt, quoties uel dominus exegerit, uel uaſallus ipſum in neceſſitate conſtitutum uiderit.

1. *Quale ius dominus in feudo habet?*

Habet dominium directum, ſeu proprietatem: unde uaſallo libere diſponendi facultas ademta, STRVV. *cap. 11. th. 1. num. 1.* ſcil. quatenus illa tendit in praeiudicium domini directi.

2. *Numne dominus uaſallo ad fidem obligatus eſt?*

Aff. quamuis iuramentum fidelitatis non praeſtet. Vid. *cap. 13. qu. 12. et 13.*

3. *Num dominus obligatus ad uacuam feudi poſſeſſionem tradendam?*

Aff. 2. F. 7. *in fin.* 2. F. 36. §. *ſi facta*, oritur enim ex inueſtitura tam arcta ad rei traditionem obligatio, ut dominus nec praeſtando intereſſe liberetur. BITSCH. *Comm. feud. p. 245. Vid. cap. 12. quaeſt. 28.*

4. *Quid uero, si moram in tradendo admiserit?*

Ad interesse uasallo est obligatus, seu omnem utilitatem, quam habiturus esset uasallus, si statim post praestitam fidelitatem in uacuam possessionem missus fuisset. 2. F. 7. *in fin.* BITSCH. *ad d. text.* ANTON. *Disp. VII. th. 10. litt. b.*

5. *Quid si dominus rem alienam in feudum dederit?*

Ad euictionem obligatus est, siue sciuerit, siue ignorauerit. 2. F. 8. *pr. Vid. supr. cap. 8. qu. 7.*

6. *An uero uasallus hoc casu litem domino denunciare debet?*

Aff. quamuis enim hoc 2. F. 8. non adiicitur, colligi tamen poterit ex 2. F. 25. et insuper ex iure ciuili supplendum. BITSCH. *Comm. feud. p. 252. num. 7.*

7. *Ad quid uasallus domino est obligatus?*

Ad fidem et seruitia praestanda.

8. *In quonam fidei praestandae effectus consistit?*

Vt domino reuerentiam exhibeat, eius commoda quaerat, et damna auertat. Vid. *cap. 13. qu. 10.*

9. *Quotuplicia sunt seruitia a uasallo praestanda?*

Vel *militaria*, uel *pagana* siue aulica; utraque uel

uel *determinata*, uel *indeterminata*, de quo ex litteris inueſtiturae conſtabit.

10. *Quaenam ſeruitia regulariter praeſtanda?*

Militaria, uel equis uel armis, quotieſcumque periculum aliquod domino imminet. 2. *F.* 7. STRVV. *cap.* 11. *th.* 5. *n.* 1.

11. *Quomodo autem ſeruitia militaria determinanda?*

Primo litterae inueſtiturae inſpiciendae, poſt conſuetudo regionis, ANT. *Diſp. VII. th.* 2. *litt. e. et f.* deinde etiam quantitas feudi: hinc duo feuda coniunctim ſaepius unum praeſtant equum, jedes ein halb Lehen = Pferd. STRVV. *d. l. n.* 6.

12. *Quid in feudis imperii?*

Hic illa determinatio ſeruitiorum militarium iam facta eſt in matricula imperii, ubi cuiuis ſtatuum aſſignatur, quantum numerum equitum et peditum praeſtare teneatur, immo etiam collectae pecuniariae ibi determinatae; quamuis quoad collectas ſaepius multiplicentur die Römer-Monate. ITTER. *cap.* 22. *§.* 3. *ſeqq.*

13. *Num aucto feudo augentur ſeruitia?*

Aff. ſi ſeruitia debeantur indeterminata; ſic enim quantitatis et utilitatis feudi ratio habetur: ſecus, ſi determinata, ubi ultra expreſſa ſeruitia uaſallus non obligatur. ROSENTH. *cap.* 10. *concl.*

 44.

44. n. 55. quae diſtinctio etiam obtinet, ſi non naturaliter, ſed facto domini uel uaſalli auctum ſit feudum: STRVV. *d. l. n. 7. 8.* niſi tamen illud, quod accedit, antea fuerit feudale; ſic enim tenetur ad ſeruitia, quae antea rei cohaerebant.

14. *An in quouis augmento feudi id procedit?*

Aff. ſiue ſit latens, ſiue patens, immo, etiamſi ſeparatum eſſet, ut inſula prope feudum in flumine nata. Quamuis enim haec ad uſufructuarium non pertineat: *L. 9. §. 4. D. de uſufruct.* pinguius tamen ius uaſallus habet. KOHL. *de ſeruit. feud. Part. V. n. 108.* Modicum uero incrementum non attenditur. KOHL. *d. l. n. 191.*

15. *Quid ſi feudum ſit diminutum?*

Pari modo diſtingu. ſcil. indeterminata ſeruitia minui, non determinata: niſi ipſa neceſſitas uaſallum excuſet, STRVV. *num. 9.* uel dominus ipſe feudum diminuerit. STRVV. *n.* II. RHET. *Comm. iur. feud. p. 222. n. 6.*

16. *Teneturne uaſallus in perſona propria ſeruire?*

Aff. uel domino perſonam acceptabilem mittere debet; 2. *F. 55. §. firmiter*, quod ipſum boni uiri arbitrio diiudicandum: ANTON. *Diſſ. VII. th. 5. litt. b.* KOHL. *d. l. Part. I. n. 149.* licet ipſe *n. 159.* diſſentiat, et uaſallum in perſona ſeruire debere uelit.

17.

17. *Sed annon uasalli imperii ab imperatore uocati, personaliter comparere tenebuntur?*

Regulariter idem obtinere puto, quod de aliis uasallis dictum, licet olim in imperio aliud obtinuerit. ITTER. *cap. 20. §. 8. 9.*

18. *Quid si plures uasalli sint?*

Aut feudum inter ipsos diuisum, aut non: illo casu quisque pro sua parte praestabit seruitia; hoc casu omnes in solidum tenentur, uno tamen seruitia praestante, caeteri liberantur, *2. F. 77.* STRVV. *d. cap. 11. th. 6. n. 5.*

19. *Quid si bellum iniustum susceperit dominus?*

Vasallus auxilium ferre non tenetur, modo bellum notorie sit iniustum; secus, si caussa dubia sit. *2. F. 28. pr.* BITSCH. *ad d. text. p. 923.* Determinatio uero huius dubii ad uasallum non spectat, sed ad dominum: et in dubio obediendum superiori praecipienti. LVDW. *Synops. p. 292.* STRVV. *cap. 11. th. 7. n. 2.*

20. *Quid si bellum defensiuum?*

Sic indistincte uasallus seruire tenetur, ob fauorem defensionis. AND. KOHL. *de seru. feud. Part. II. n. 54.* ANT. *Diss. VII. th. 7. litt. c.*

21. *Quid si dominus feudi ab alio certo stipendio conductus militet?*

Ita uasallus ad seruitia militaria non tenetur; sic enim nulla necessitas premit dominum feudi, cum ipse declinare militiam possit. KOHL. *Part. II. n. 49.* SCHRADER. *Part. VI. cap. 6. n. 66.* Aliud uero est, si belli caussa dominum feudi simul concernat; sic enim non abest, quamuis stipendium ab alio acceperit.

22. *Sed an contra quemuis auxilium praestandum?*

Aff. excepto imperatore, *2. F. 7.* et antiquiore domino, *2. F. 28 § fin.* ANTON. *Disp. VII. th. 3. litt. e.* Vid. *cap. 3. quaest. 44.*

23. *Anne autem contra imperatorem penitus opem ferre non tenetur?*

Non, *d. text. 2. F. 7.* nisi tamen imperator dominum immerentem iniuste oppugnauerit. KOHL. *Part. III. n. 35.*

24. *Poteritne domino posteriori contra priorem per substitutum seruire?*

Negat SCHRAD. *Part. VI. cap. 6. n. 20. sequ.* sed affirmat. KOHL. *d. l. Part. III. n. 42. seqq.* cum ita priori domino non praeiudicetur, quem perinde iuuare potest.

25. *Pot-*

25. *Poteſtne ergo priori contra poſteriorem dominum in perſona auxilium praeſtare?*

Affirm. quia ab hoc nexu, quo priori domino obligatus, poſterius feudum acceptando ſe liberare non potuit. KOHL. *Part. III. n. 18. ſequ.*

26. *An uaſallus contra patrem ſuum domino auxilium ferre debet?*

Affirm. *d.* §. *fin.* 2. *F.* 28. praeſuppoſito tamen caſu, ſi pater iniuſte dominum feudi offendat; ita enim pater delinquens legis beneficio indignus eſt: *arg. L.* 35. *D. de religioſ.* LVDW. *p.* 193. STRVV. *cap.* 11. *th.* 8. quamquam hoc caſu excuſetur filius, ſi per ſubſtitutum ſeruitia praeſtiterit. KOHL. *de ſeruit. feudal. Part. III. n.* 11.

27. *Cuius ſumptibus praeſtanda ſeruitia?*

Communis ſententia eſt diſtinguentium, an uaſallus ſeruitia praeſtare debeat in territorio, an extra territorium: illo caſu propriis ſumtibus; poſteriori ſumtibus Domini. 2. *F.* 107. Quod capitulum quidem extraordinarium eſt, unde etiam diſſentit LVDW. *p.* 296. quia tamen caſum iure feudali non deciſum continet, merito eidem ſtandum. KOHL. *de ſeruit. feud. Part. VI. n.* 6. *ſequ.* Conſuetudine autem receptum uidetur, ut domini ſumtibus ſeruiatur. ANTON. *Diſp. VII. th.* 6. *litt. f.* CARPZ. *Part. III. conſt.* 28. *def.* 18. *n.* 11.

28. *Num-*

28. *Numne dominus pro seruitiis equestribus pecuniam exigere potest?*

Regulariter non, cum aliud pro alio peti non possit: nisi tamen necessitas reip. aliud exigat, utpote si domino feudi melius pecunia, quam seruitiis, succurri possit. ROSENTH. *cap. 8. concl. 23. n. 13. litt. q.* TIRAQVELL. *de iur. primogen. qu. 74. n. 2.* Et haec praestatio pecuniae loco seruitii dicitur *adoba*, siue *adaeratio.* MATTH. *de* AFFLICT. *Dec. 251. n 3.*

29. *Quid si feudum sit exiguum?*

Si fructus pro sumtibus seruitiorum non sufficiant, dominus sumtus suppeditare tenetur, etiamsi uasallus aliunde bona habeat. KOHL. *d. P. VI. n. 12.*

30. *Quibus casibus uasallus a seruitiis praestandis liberatur?*

Si feudum sit francum, uel seruitia alias a domino remissa: item si uasallus adhuc impubes sit, uel etiam senex annorum septuaginta: item si morbo sontico, uel extrema paupertate impediatur. ANT. *Disp. VII. th. 7.* Verum ob aetatem et morbum tantum a seruitiis in persona praestandis excusatur.

31. *Sed cogiturne pupillus per substitutum seruire?*

Non uidetur, *c. si quis decesserit 2. F. 26.* sed in *d. dext.* saltem dicitur, quod fidelitatem facere

re nec ipse, nec alius pro eo cogatur; a seruitiis uero ipse saltem liberatur; non ut per substitutum seruiat. Nocetur enim domino per dilationem seruitiorum, non per dilationem fidelitatis, quam differre potius expedit, donec uim iuramenti capiat uasallus. KOHL. *Part. I. n. 139.* BITSCH. *ad d. c. 2. F. 26. p. 431.* STRVV. *cap. 11. th. 6. n. 2.* quod praxi uniuersali receptum esse, testatur SCHNEIDEW. *Part. V. n. 106.* etiam in Saxonia. CARPZ. *Part. III. const. 28. def. 18. n. 3.*

32. *An uasallus dimidiam partem fructuum praestando, se a seruitiis liberare potest?*

Ita uidetur 2. *F. 55. §. firmiter.* Sed id potius de casu, si domino libuerit, accipiendum: nam non fructuum, sed seruitiorum, intuitu feudum est concessum; hinc aliud pro alio inuito domino soluere non licet. KOHL. *d. Part. VI. n. 43.*

33. *Quomodo ex persona domini uasallus a seruitiis liberatur?*

Si dominus excommunicatus, bannitus, uel haereticus factus. ANTON. *Disp. VII. th. 8.* STRVV. *cap. 11. th. 7. in fin.*

34. *Quid si plures de dominio litigent, cui seruiendum?*

Illi, qui est in possessione: si neuter possideat, litis euentus est exspectandus. STRVV. *d. th. 7. n. 5.* ANT. *d. th. 8. litt. f.*

35. *An*

35. *An uasallus sua sponte seruitia offerre debet?*

Regulariter non praeſtat, niſi uocatus. Si tamen periculum domino imminere uideat, ultro praeſtare debet. *2. F. 26. ʃ. licet.* STRVV. *cap. 11. th. 9.*

36. *An uasallus dominum in casu inopiae alere tenetur?*

Aff. non quidem ex ſuo patrimonio, ſed ex feudo, uſque ad dimidiam fructuum unius anni. *Arg. d. §. firmiter, 2. F. 55.* Ratio, quia incolumem dominum quoad corpus praeſtare, *2. F. 6. pr.* Ergo et a fame eum liberare debet. Et pari modo libertus patronum alere tenetur. *L. 5. §. 18. D. de agnosc. et alend. liber.* ANT. *Diſp. VII. th. 9. litt. e.* LVDW. *p. 299.* STRVV. *cap. 11. th. 5. n. 15.*

37. *Sed num ad aes alienum domini soluendum tenetur?*

Neg. etiamſi dominus iuramento ſe obligauerit: *2. F. 26. ʃ. licet;* niſi forte in utilitatem uaſalli aes alienum contractum. ANT. *d. th. 9. litt. f.*

38. *An uasallus dominum captiuum redimere tenetur?*

Neg. ſi ex cauſſa iuſta captus ſit dominus. ANT. *Diſp. VII. th. 9. litt. d.* Aliud ſi ab hoſtibus, uel alias iniuſte captus ſit, ubi uaſallus fideiubendo, uel alia ratione domino ſubuenire debet,

bet, KOHL. *de feru. feud. Part. IIII. n. 36.* Conf. LVDW. *p. 300.* si scil. ex bonis captiui domini λύτρον capi non possit. STRVV. *cap. 11. th. 5. n. 4.*

39. *An uasallus domino ad collectas est obligatus?*

Neg. uasallo enim qua tali collectae non sunt imponendae; cum fructuum nomine seruitia praestet. MEV. *Part. IIII. def. 33.* CARPZ. *Part. III. const. 28. def. 9.* Et hinc apud nos contributionibus eximuntur die Ritter-Hufen. Nisi uel consuetudo, uel summa necessitas, contrarium uelit. STRVV. *d. l. num. 13.* Et quamuis status imperii interdum soluant collectas, hoc tamen fit loco seruitiorum feudalium, et inde, qui numerum militum sibi incumbentem mittit, excusatur a collectis. ITTER. *cap. 2. §. 2.*

40. *An ad dotandam filiam domino uasallus contribuere tenetur?*

Id uolunt doctores, si ipse dominus tantum non habeat, unde dotem congruam filiae constituere possit, SCHRAD. *Part. VI. cap. 6. n. 102.* sed in iure feudali hoc uix fundatum; hinc ex consuetudine locorum id potius determinandum. ANTON. *d. th. 9. litt. g.* German. Fräuleinsteuer, de quo FRITSCH. *spec. tract.* Hanc collectam autem fere uniuersali consuetudine receptam esse, etiamsi pater congruam dotem constituere possit, docet MVND. *de muner. cap. 3. num. 31.*

CAPVT

CAPVT XVIIII.

DE CONTRACTIBVS CIRCA FEVDVM INIRE LICITIS, VEL NON.

GENERALIA CAPITIS.

1. Quicumque contractus ad promouendam feudi utilitatem tendit, ille uasallo permissus est, quatenus scilicet non tendit in praeiudicium domini directi.

2. Quamuis autem ex alienatione reapse nullum damnum sentiat dominus, praesertim cum emtor eius dominium directum pariter agnoscere teneatur: quia tamen ipsi inuito alius uasallus non obtrudendus, inde sine eius consensu non subsistit alienatio.

1. *An uasallus de feudo libere disponere potest?*

Neg. nisi quantum utile feudi dominium se extendit.

2. *Potestne feudum alienare?*

Neg. nisi consentiente domino, si feudum nouum sit; et agnatis etiam, si feudum sit antiquum; 2. F. 39. horum enim consensus in alienatione feudi necessarius est, de quorum praeiudicio agitur. Et pari ratione nec donare potest. 2. F. 9. §. *donare.* Speciali tamen priuilegio hic gaudent uasalli Silesiae. HENEL. *de dotalit. cap. 6. §. 6. litt. c.*

3. An

3. *An in dotem dare potest?*

Neg. quia species alienationis est. *d. §. donare.* Si tamen feudum femininum sit, femina marito suo illud in dotem dare potest, *2. F. 13.* Ratio, quia sic proprie non alienat, cum dos in patrimonio uxoris maneat. LVDW. *pag. 361.* STRVV. *cap. 13. th. 5.* Modo (1) non det aestimato, quia sic uenditio esset: *L. 10. §. 4. D. de iur. dot.* uel (2) non apponat pactum de lucranda dote: VVLT. *cap. 10. n. 46.* ANTON. *Disp. VIIII. th. 5. litt. b.* immo fructus feudi in dotem dari posse, certum est. Vid. *qu. 5.*

4. *Num feudum in emphyteusin uasallus dare potest?*

Neg. de emphyteusi perpetua, qualis regulariter esse solet, et hinc ad species alienationis refertur; secus itaque in emphyteusi ad exiguum tempus concessa: LVDW. *p. 362.* dissentit STRVV. *cap. 13. th. 6.* sicut et ex consuetudine uasalli terras incultas in emphyteusin dare solent. VVLT. *cap. 10. num. 47.*

5. *An. feudum in usumfructum dare potest?*

Neg. nisi quoad dies uitae uasalli concedentis. Vide supra *cap. 10. qu. 12. 13.* Dissentit BITSCH. *ad 2. F. 55. p. 687.*

6. *An potest permutare?*

Neg. etiamsi permutatio fiat cum alio feudo,

O quod

quod ab eodem domino dependet. Quamuis enim ita feudum aliud recipiat: inuito tamen domino id facere nequit, utpote cuius uoluntas ad certum praedium restricta.

7. *Potestne feudum in solutum dare?*

Neg. quia et ita alienaretur; ergo domini consensu opus erit. Distinguendum tamen inter feudum ipsum et fructus feudi: de his, quia libere disponere potest, eosdem in solutum dare non prohibetur. STRVV. *cap. 14. th. 32.* Vbi tamen ipsum utile dominium penes uasallum manet, ANT. *Disp. VIIII. th. 5. litt. b.*

8. *An uasallus feudum oppignorare potest?*

Neg. 2. *F. 55.* quidquid enim prohibitum in termino, prohibitum est etiam in uia; nam per oppignorationem ad alienationem deuenitur. Ergo et hic consensu domini et agnatorum opus erit. STRVV. *cap. 13. th. 7.*

9. *Sed quid, si sine consensu domini hypotheca constituta?*

Vasallus propterea feudo quidem non priuatur, cum realiter feudum in alium non transferat: STRVV. *cap. 13. th. 9. n. 5.* non tamen ulterius ualorem habet hypotheca, quam quoad ipsum uasallum, eiusque heredes, qui factum defuncti praestare tenentur. VVLT. *cap. 10. n. 43.*

10. *Quid, si dominus contractum feudalem confirmauerit?*

Nuda confirmatio non sufficit; magis enim

ut

ut iudex, quam ut dominus feudi, confirmasse censetur. CARPZ. *Lib. IIII. resp. 29.* Hinc expresse in hypothecam consentire debet dominus, quia res maximi praeiudicii est. STRVV. *d. th. 7. n. 4.* Conf. *Cautel. contract. sect. II. cap. 4. §. 3.*

II. *Quis impetrare consensum debet?*

Ipse debitor; alias non ualet, quia nemo me inuito ius reale in meis bonis consequi potest: *arg. L. 11. D. de reg. iur.* nisi in obligatione debitor se consensum impetraturum promiserit, quo casu, si creditor impetrauerit, hypotheca subsistit. STRVV. *th. 7. n. 3.* Vid. *Caut. contr. d. cap. 4. §. 6.*

12. *Quid si dominus ad certum tempus consenserit?*

Lapso tempore exstinguitur consensus: CARPZ. *Part. II. const. 23. def. 4.* nisi uel expresse, uel tacite prorogatio temporis facta. In Neo-Marchia singulis sexenniis consensus renouandus; quod hodie ad octo annos extensum.

13. *An dominus quoad sortem consentiens, etiam quoad usuras consensisse praesumitur?*

Quoties ex natura contractus debentur usurae, consensus domini ad has quoque trahendus. Aliud, si speciali pacto promissae, ubi in consensu usurarum quoque mentio fieri debet. STRVV. *d. th. 7. n. 7.*

14. *Quid si dominus in oppignorationem consenserit, an postea ad alienationem nouus consensus necessarius?*

Neg. quia decretum super obligatione etiam ad alienationem extenditur: *L.* 7. *ff.* 1. *D. de reb. eor. qui sub. tut.* quamquam tutius sit consensum repetere, *d. L.* 7. ne domino ignoranti alius obtrudatur uasallus. Dominus tamen consensum in alienatione denegare non potest, cum semel in obligationem consenserit. KOEPPEN. *Dec.* 39. *n.*18.

15. *Sed quid, si feudum, consensu domini oppignoratum, ad eum fuerit reuersum?*

Ipse dominus debitum soluere debet, quamuis consenserit *saluo suo iure:* hac enim clausula sibi saltem reseruat ius, quod extra hanc obligationem habet dominus, CARPZ. *Part. II. const.* 46. *def.* 11. de quo uid. *Disp.* nostr. *de saluo iure principis.*

16. *Poteritne uero dominus dominium suum directum alienare?*

Neg. ne uasallo inuito nouus obtrudatur dominus. Hinc uasalli consensus necessarius est. 2. *F.* 34. §. *ex eadem*, STRVV. *cap.* 13. *th.* 1. *n.* 3. ANTON. *Disp.* 9. *th.* 6. uid. *supr. qu. penult. cap.* 14. si tamen speciale interesse docere nequeat uasallus, contradicendi potestatem non habet, maxime si simul subditus sit.

17. *Pot-*

17. *Poteſtne uaſallus tranſigere de feudo?*

Aff. ſi modo lis de ipſo feudo fuerit, et ius uaſalli dubium, et tranſactio tendat ad feudi conſeruationem; tranſigendo autem feudum in alium tranſferre non poteſt, ſed dolo id feciſſe praeſumitur, niſi accedat conſenſus domini, cui ſemper ſalua manet proprietas. STRVV. *cap. 12. th. 8. n. 5.*

18. *Poteſtne uaſallus feudum locare?*

Aff. quia non eſt alienatio, *L. 39. D. loc.* niſi ſit fraudulenta. ANT. *Diſp. VIIII. th. 3.*

19. *Quid ſi ad longum tempus facta locatio?*

Nihilominus ualet, quia *d. L. 39.* generaliter loquitur. LVDW. *p. 306.* Si tamen feudum fuerit apertum ante finitum tempus locationis, non tenetur dominus uel agnatus locationi ſtare. ANT. *d. th. 3. litt. b.*

20. *An uaſallus refutare feudum poteſt?*

Aff. modo non intempeſtiue fiat; et quidem uel domino, ſi feudum nouum ſit, indiſtincte; ſi antiquum, cum conſenſu agnatorum; uel alicui ex agnatis, modo hic proximus ſit in ſucceſſione; alioquin proximiores conſentire debent; *2. F. 26. §. Titius*, uel extraneo, ſeu in prima inueſtitura non comprehenſo, ubi domini et agnatorum conſenſus neceſſarius. STRVV. *cap. 12. th. 10.* LVDW. *p. 312.*

21. *Poteritne uice uersa dominus iuri uasallagii renunciare?*

Aff. quod scil. ipsum pro uasallo amplius recognoscere nolit: LVDW. *pag. 313.* quo casu plenum dominium uasallus consequitur; et res ipsa oneribus et tributis subiicitur.

22. *An uasallus de feudo compromittere potest?*

Aff. quia compromissa ad instar iudiciorum redacta. *L. 1. D. de recept. arb.* Sicut ergo in iudicio litem de feudo suscipere potest uasallus, ita et compromittere: LVDW. *p. 308.* modo caussa ad ordinarium iudicem spectet, uid. *infr. cap. 25. qu. 10.* et non ad dominum feudi; huic enim compromittendo uasallus praeiudicare non potest. ANT. *Disp. VIIII. th. 2. litt. f.* Vnde patet, si de ipso feudo, ad quem hoc spectet, lis moueatur, compromissum non ualere; sed tantum de lite circa feudum, u. gr. de feudo oppignorato, uel seruitute constituta. Idem in feudis imperii. ITTER. *cap. 25. §. 12.*

23. *An uasallus alium de feudo subinfeudare potest?*

Affirm. *2. F. 9. pr.* quia ita domini ius deterius non redditur, nec feudum alienatur, sed feudi utile dominium penes uasallum subinfeudantem manet, qui domino seruitia praestare tenetur: immo tantum utile aliquod dominium subalter-

num

num ſeu ſubordinatum in ſubuaſallum transfertur. STRVV. *cap. 12. th. 9. n. 3.* LVDW. *p. 314.*

24. *Quid ergo eſt* ſubinfeudatio?

Eſt actus, quo uaſallus alii aeque habili feudum totum, uel partem eius, ſub conditione fidei ſibi praeſtandae in feudum iterum concedit. Germ. ein After-Lehen. VVLTEI. *cap. 10. n. 79.* STRVV. *cap. 12. th. 10.*

25. *Ergone totum feudum alteri in ſubfeudum concedi poteſt?*

Negandum uidetur ob *text.* 2. F. 73. ubi maiorem partem retinere infeudans debet. Sed contrarium uerius, per *cap. 1. uerſ. ſi uero totum*, 2. F. 9. cui capitulum prius tamquam extraordinarium derogare nequit.

26. *Sed quid in feudo regali?*

Hoc totum ſubinfeudari nequit, cum tale feudum non niſi a ſuperiori ſeu imperatore conferatur. KOHL. *de ſubfeud. cap. 2. num. 9.* STRVV. *cap. 12. th. 10. n. 6.* Diſſentit LVDW. *p. 315.* Nec de parte regalis feudi quis ſubinfeudari poterit, quia diuiſionem non recipit. 2. F. 55. §. *firmiter*, LVDW. *d. l.* Bona tamen particularia poſſunt, ſi ſine notabili detrimento ducatus fiat. KOHL. *cap. 1. num. 7.* Ergo pars quanta in feudum dari poterit; non pars quota, die halbe Graſſchaft, der vierte Theil des Fürſtenthums: pars quota enim iura habet annexa. Contrarium quidem aſſerit ITTER. *de feud. imp. cap. 22. ſſ. 5.* ad obſeruan-

tiam Germaniae prouocans: ſed caſus, qui proponuntur, eo collimant; poſſe principem, qui cum principatu alios quoque comitatus immediatos poſſidet, comitatum aliquem alteri in ſubfeudum concedere, non uero totum principatum. Hoc certum, tali caſu dignitatem regalem ſimul non tranſferri.

27. *Quaenam, ut ſubinfeudatio iuſta ſit, requiruntur?*

Tria: (1) ut iiſdem conditionibus ſubinfeudet, quibus ipſe habet; duriorem enim feudi conditionem reddere nequit, e. gr. ut femina ſuccedat, 2. F. 34. *§. profecto*, quamquam leuior conditio ſubſiſtat; STRVV. *cap.* 12. *th.* 11. *n.* 6. (2) ut ſubuaſallus ſit aeque idoneus ad ſeruitia praeſtanda; aequalis uero dignitas neceſſaria non eſt; KOHL. *de ſubfeud. cap.* 2. *num.* 7. STRVV. *d. th.* 11. *n.* 2. (3) ut ſine fraude fiat, non uero, ut ſub hoc praetextu uenditio interueniat. 2. F. 55. §. *callidis*, LVDW. *Synopſ. p.* 316.

28. *Quid ſi plane conditiones in ſubfeudo omiſſae?*

Sic praeſumuntur eaedem conditiones repetitae, quibus uaſallus idem accepit. KOHL. *d. tr. cap.* 2. *n.* 44.

29. *Ergone pro pecunia ſubfeudum conſtitui nequit?*

Ita uidetur *ob d. §. callidis*. Sed cum alias ſubfeu-

feudum licite constituatur: nil impedit, quo minus et accepta pecunia fieri possit, *arg.* *§. sed etiam*, 2. *F.* 3. modo alia subfeudi requisita obseruentur. KOHL. *d. tr. cap.* 2. *n.* 54. *sequ.*

30. *Cui seruitia praestare debet subuasallus?*

Vasallo subinfeudanti, (a quo etiam inuestitura eiusque renouatio petenda,) non domino superiori, quem tamen offendere non debet. 2. *F.* 55. §. *illud quoque.* STRVV. *c.* 12. *th.* 12. *n.* 3. LVDW. *p.* 320. Si tamen subinfeudans amplius seruire non possit, in subsidium a subuasallo seruitia sunt praestanda. KOHL. *de subfeud. cap.* 4. *n.* 38.

31. *An mortuo uasallo subinfeudante ius subuasalli exspirat?*

Negat hoc LVDW. *p.* 321. si subuasallus superiorem dominum agnoscere, eique seruitia praestare paratus sit, 2. *F.* 9. §. *si uero in fin.* Sed uerius contrarium, si subinfeudans eiusque liberi decesserint. *arg.* 1. *F.* 5. *in fin. pr.* 2. *F.* 83. ob resolutum ius subinfeudantis, et ne domino inuito alius uasallus obtrudatur; idem in feudis imperii. ITTER. *cap.* 22. §. 8. Ad *d. textum* respondetur, ibi tantum consuetudinem recenseri. STRVV. *d. c.* 12. *th.* 13. *n.* 4. *ubi n.* 6. hoc limitat (1) nisi res sit subinfeudari solita. (2) nisi feudum mere hereditarium, & (3) nisi dominus uasallo subinfeudanti heres extiterit, sic enim factum eius praestat. Idem quoque obtinet, si ab initio in subfeudum consenserit.

32. *Quid uero, si ad agnatos successio deuoluatur?*

Et ita exspirabit subfeudum, si citra horum consensum res subinfeudata. *1. F. 8. §. hoc quoque. 2. F. 26. §. Titius filios.*



CAPVT XX.

DE FEVDI ALIENATI REVOCATIONE.

GENERALIA CAPITIS.

1. Vt alienatio feudi extra poenam sit, sufficit consensus domini, quia ab hoc, et non ab agnatis ius dependens habet uasallus. Quo uero illa alienatio sit irreuocabilis, necessarius etiam est agnatorum consensus.
2. Cum autem agnati, ui primae inuestiturae, iam ius radicatum in feudo habeant: potiores ipsi sunt extraneo emtore. Hinc ipsis competit ius protimiseos.
3. Sed cum tali casu idem cum extraneo pretium offerre teneantur, consultius agunt, si exspectent, donec exstincta linea alienantis feudum ad ipsos deuoluatur: tunc enim, ad quem deuoluitur successio feudi, ad illum deuoluitur ius reuocandi sine refusione pretii.

1. *Quibus competit ius feudum licite, id est, consensu domini, alienatum reuocandi?*

Agnatis ex prima inuestitura ius habentibus.

2. *Quo-*

2. *Quotupliciter ipsis hoc ius reuocandi competit?*

Vel iure προτιμήσεως, seu retractus; uel iure delatae successionis. STRVV. *cap.* 13. *th.* 15.

3. *Estne ius retractus et προτιμήσεως unum idemque?*

Proprie non, licet communiter confundantur: nam ius retractus tribuit facultatem uenditionem impletam rescindendi; ius προτιμήσεως uero uenditionem nondum factam impediendi, et alterum, ut mihi prius emendum offerat, compellendi; quod uocari solet alias ius praelationis, uel ius congrui ex *L. 4. C. de locat. praed. ciu.* Germanis illud dicitur ein Wiederkauf; hoc uero ein Vorkauf, Einstandes-Recht, Näher-Kauf.

4. *Quomodo iure προτιμήσεως reuocatur feudum?*

Si proximior feudum alteri uendendum, oblato eodem pretio, cum iisdem terminis et conditionibus, quod emtor soluere paratus erat, repetat, et, ut sibi uendatur, petat. 2. *F. 3. §. sed etiam,* ANT. *Disp. X. th. 1. litt. b.* Conf. *qu. 18.*

5. *Quomodo iure retractus?*

Quando feudum iam in alium translatum, et mihi prius non oblatum, refuso pretio, ab emtore dato, reuocatur.

6. *In-*

6. *Intra quantum tempus haec reuocatio fieri debet?*

Intra annum a die ſcientiae computandum. 2. *F. 26. ʃ. Titius.* CARPZ. *Part. II. conſt. 50. def. 3.* Et quidem ſpecialis ſcientia hic neceſſaria: generalis enim non praeiudicat. STRVV. *cap. 13. th. 21. n. 3.*

7. *Quomodo iure ſucceſſionis reuocatur feudum?*

Quando ſucceſſio feudi alienati morte alienantis liberorumque eius ad agnatos deuoluitur, ubi hoc a quouis poſſeſſore reuocare poſſunt. STRVV. *cap. 13. th. 16.*

8. *Sed numne ita pretium agnati refundere tenentur?*

Neg. quia iure ſucceſſionis ad ſe deuoluto feudum petunt; alienantis enim ius penitus exſtinctum: ANTON. *Diſp. X. th. 3. litt. c.* emtori tamen regreſſus contra alienantis heredes competit.

9. *Competitne omnibus agnatis haec reuocatio?*

Aff. ſc. ad quos ſucceſſio deuoluta, et hinc proximioribus tantum, qui remotiores excludunt, niſi iure repraeſentationis gaudeant: ANT. *th. 5. litt. d.* modo tamen uaſallo alienanti non ſimul ſuccedant in allodio; ſic enim factum ipſius impugnare non poſſunt: ANT. *th. 6. litt. b.* uel modo

modo in alienationem non consenserint. ANT. *d. litt. b.*

10. *An filiis hoc ius reuocandi competit?*

Neg. quia feudum ab allodio separare non possunt: 2. *F.* 51. §. *filius*, hinc nec facto patris contrauenire poterunt. *L.* 14. *C. de rei uind.* STRVV. *cap.* 13. *th.* 16. *num.* 6. Si tamen feudum mere sit ex pacto et prouidentia, aeque filiis ac patri concessum, ius reuocandi filiis non denegandum putat ANTON. *Disp. X. th.* 4. *litt. b.* modo non simul heredes facti. Aliud in retractu ex iure protimiseos, quo uti potest filius, etiamsi patris heres sit, quia non impugnat alienationem patris, sed tantum in extranei emtoris locum, oblato eodem pretio, se surrogari petit. STRVV. *cap.* 13. *th.* 21.

11. *Quid si feudum sit hereditarium?*

Hoc agnati reuocare nequeunt, ob liberam dispositionem, quam uasallus in tali feudo habet. Et hic agnati non nisi iure hereditario succedunt. Ergo alienationem defuncti ratihabere tenentur. ANTON. *th.* 4. *litt. d.*

12. *Competitne haec reuocatio uiuo alienante?*

Neg. sed quamdiu hic uel ipsius filii uiuunt, agnatis uti successio, ita et reuocatio nondum competit, sed deuoluta successione demum locum habet. STRVV. *cap.* 13. *th.* 16. *n.* 1. *in fin.*

13.

13. *Si proximiores reuocare nolint, an remotioribus reuocatio competit?*

Affirm. ſed non antea, niſi ad remotiores ſucceſſio ſit deuoluta; niſi tamen proximior plane feudum repudiauerit, ubi, cum remotiores ſtatim ad ſucceſſionem admittuntur, etiam ius reuocandi habebit. STRVV. *cap.* 13. *th.* 17. *n.* 2.

14. *Quid ſi aliqui ex agnatis conſenſerint in alienationem, aliqui non?*

Non conſentientibus tamen libera adhuc eſt reuocatio, et ſi quidem cum conſentientibus in pari gradu ſint, non in ſolidum reuocabunt, ſed pro ſua tantum portione. ANTON. *Diſp. X. th.* 5. *litt. d. in med.*

15. *Poſſuntne uero agnati conſentientis filii reuocare feudum?*

Verius eſt, quod non: filii enim ius a patre pendet, cuius nec factum impugnare poteſt. *L.* 14. *C. de rei uind.* Et alias numquam tuto alienari feudum poſſet, etiamſi agnati conſentirent. STRVV. *cap.* 13. *th.* 19. *n.* 2.

16. *Sed tenenturne agnati implorati conſentire?*

Neg. cum nullum ius a uaſallo alienante, ſed a primo adquirente dependens habeant, cui inuiti renunciare non tenentur: niſi debitum ſit tale, quod etiam ab agnatis ſoluendum foret. STRVV. *d. th.* 19. *n.* 3. 4. In Marchia cautum:

daß

daß ein *Agnatus*, wann zu Vergnügung eines abgefundenen Bruders, Ausstattung einer Schwester oder Tochter, Bestellung des Roßdienstes, Schulden gemachet, seinen Consens zu geben schuldig sey, oder er kan *cum caussae cognitione pro consentiente* erkläret werden. *Recess. Marcb. de a.* 1653. §. 32.

17. *An agnati contractum alienationis subscribentes pro consentientibus habendi?*

Neg. quia ut testes hoc fecisse praesumuntur. Hinc requiritur, ut declarent, se ut agnatos consentire; alioqui clausula illa: *saluo iure meo*, subintelligitur. STRVV. *d. th.* 19. *n.* 1. ANT. *Disp.* X *th.* 6. *litt. b.*

18. *Quid si agnato feudum ad emendum sit oblatum, ille uero recuset?*

Non ita in alienationem consensit, nec a iure reuocandi excludendus. CARPZ. *Part. II. const.* 31. *def.* 1. Ius προτιμήσεως tamen ipsi amplius saluum non est, modo cum denominatione extranei emtoris et certi pretii agnato fuerit oblatum, hic uero recusauerit. ANT. *d. litt. b.*

19. *Quanto tempore haec reuocatio exspirat?*

Intra 30. annos, CARPZ. *Part. II. const.* 50. *def.* 5. quod et de feudis imperii asserit ITTER. *cap.* 23. §. 14. Cum enim ex iure succedendi haec reuocatio dependeat: non citius exspirabit, quam ipsum ius succedendi; et alias quoque tricennaria praescriptio communiter obtinet in iu-

re

re feudali, STRVV. *c.* 13. *th.* 18. *n.* 1. ubi respondet ad §. *Titius* 2. *F.* 26. eum loqui de reuocatione ex iure προτιμήσεως.

20. *A quo tempore currit haec praescriptio?*

Non a tempore alienationis, sed delatae successionis; antea enim ius agendi non habuit; STRVV. *d. th.* 18. quod et ad feuda imperii applicat ITTER. *c.* 23. *§.* 15. Excipit quidem praescriptionem immemorialem: uerum nec haec obstare poterit illi, qui agere non ualuit.



CAPVT XXI.

DE OBLIGATIONE FEVDALI EX QVASI CONTRACTV.

GENERALIA CAPITIS.

1. Vasalli personam omni illo casu ex quasi contractu obligari, quo alii obligantur, extra dubium est: sed cum hic non ad personam, sed ipsius feudi eiusque successorum obligationem respiciamus, de hoc solo casu solliciti sumus.

2. Omne itaque debitum, quod ad perpetuam feudi utilitatem impensum, uel consuetudine feudali pro onere feudi reputatur, hoc hic ad quasi contractus refertur, et illud agnoscere tenetur uasallus successor.

1. *Quam*

1. *Quam dicis obligationem uasalli ex quasi contractu?*

Quae non expresso uasalli consensu inducitur, sed ad quam successor, acceptando feudum, tacite obstringitur, etiamsi non ut heres succedat; et alias onerum feudalium nomine uenit.

2. *Teneturne ergo successor omne aes alienum praedecessoris soluere?*

Si ut heres succedat, ad omne aes alienum tenetur; *arg. l. 14. C. de rei uind.* non si ut agnatus, iure ex prima inuestitura quaesito; nisi debita talia sint onera feudi, Germ. Lehen-Schulden. STRVV. *cap. 14. th. 2. 3.*

3. *Vnde autem caetera debita exsoluenda?*

Ex allodio, ab herede, qui in illud succedit. *2. F. 45.* CARPZ. *de oner. uasall. feudal. Dec. I. posit. 7.* Si hoc deficiat, recursus ad successorem feudi non patet.

4. *Quod uero debitum feudale dicis?*

Ob quod feudum legitime oppignoratum, de quo dixi *supra cap. 19. qu. 8.* uel quod alias feudo consuetudine locorum cohaeret; ex consuetudine enim pleraque dependent. STRVV. *th. 4.*

5. *An, si quis ad feudi refectionem quid impenderit, actionem habet?*

Affirm. competit enim ipsi actio negotiorum

 gesto-

gestorum, si utiliter quid impensum, tam contra uasallum, quam successorem, cuius conditio ita melior reddita. Quae et aduocato datur, qui casus feudales utiliter gessit, ut consequatur salarium. CARPZ. *Part. II. const. 46. def. 30.*

6. *Sed quis probabit, in feudi utilitatem quid conuersum esse?*

Creditor, qui in eo se fundat, et ex feudo solutionem petit: STRVV. *c.* 14. *th.* 7. quo probato hoc ex feudo refundendum, etiamsi superſit allodium. CARPZ *Part. II. const. 46. def. 24.*

7. *Anne successor feudi tenebitur ad residuum pretii, quo feudum est emtum?*

Aff. ex statuto Saxonico, sed non iure communi, CARPZ. *Part. II. const. 46. def. 27.* STRVV. *cap. 14. th. 8.* quia hoc debitum ex contractu est, et hinc allodiale, personam uasalli tantum obligans.

8. *Quid uxori uasalli, eo defuncto, iuris in feudo competit?*

Pro dote illata, ac in feudi utilitatem conuersa, habet moribus ius exigendi dotalitium; quod iuri feudali incognitum. KÖPPEN. *Part. I. decis. qu. 39. n. 40.* Idem in principatibus et aliis feudis regalibus obtinere, probauit ITTER. *cap. 18. §. 11.*

9. *Sed quid in episcopatibus nostris Euangelicis?*

Communiter dicunt, das Stift leidet kein Leib-Geding.

Geding. Verum reſponderi poſſet: ſi poſtulato epiſcopo uxorem habere permiſſum eſt, nullam rationem ſubeſſe, quare, ſi dotem in epiſcopatus commodum conuertat, uxori uel uiduae denegandum ſit dotalitium, conſentiente tamen capitulo. Diſſentit HORN. *cap. 21. §. 10.*

10. *Quid ſi autem uiuus maritus hoc non conſtituerit?*

Nihilominus ex conſuetudine ſucceſſor feudi ad illud conſtituendum eſt obligatus. CARPZ. *Part. II. conſt. 44. def. 1. n. 3.*

11. *Quid uero, ut conſequatur, requiritur?*

(1) Dotis illatio realis, ad quam probandam ſola confeſſio mariti non ſufficit: CARPZ. *d. l. d. 10.* ſufficit tamen, ſi dos uoluntate mariti apud promiſſorem maneat. MEV. *Part. II. deciſ. 225. et Part. V. dec. 63.* (2) Eiuſdem in feudum uerſio. *Tract. noſtr. de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. IIII. cap. 2. ſſ. 9. 10.*

12. *Praeſumendane uerſio dotis in feudum?*

Hoc uolunt doctores, ſi modo dotis illatio probata: CARPZ. *Lib. VI. reſp. 57. n. 8.* KOHL. *ad Conſt. March. qu. 9. n. 15.* quod admitto, ſi a filiis dotalitii conſtitutio petatur; non, ſi ab agnatis; *Tr. noſtr. d. l. §. 11.* quamuis prior ſententia receptior. MEV. *Part. II. dec. 224.* BRVNNEM. *Cent. IIII. dec. 5. in fin.*

13. *An autem, dote non illata, penitus a dotalitio uxor repellitur?*

Si certa dos ab initio promiſſa, ſufficit, ſi uxor eam cum uſuris a tempore contracti matrimonii offerat; STRVV. *c. 14. th. 10. in fin.* BRVNNEM. *Cent. IIII. dec. 49.* quod itidem, ſi cum agnatis res ſit, uix admittendum, *Tr. noſt. d. l.* §. *11.* licet hoc mores admittant.

14. *Quantum eſt dotalitium?*

Ordinarie continet dotis duplicatas uſuras, STRVV. *th. 11.* CARPZ. *Part. II. conſt. 42. def. 2.* interdum uero quadruplicatas, quo caſu tamen dos abſorberi ſolet a dotalitio, nec mortua uidua ad eius heredes reuertitur. *Dict. Tr.* §. *15.*

15. *Quid in Saxonia?*

Ibi indiſtincte per dotalitium dos abſorbetur, HARTM. PIST. *Lib. I. qu. 4. n. 20.* niſi per pactum aliter proſpectum. CARPZ. *Part. II. conſt. 42. def. 3.* Liberum tamen uxori manet, an, neglecto dotalitio, dotem repetere uelit. CARPZ. *Part. II. conſt. 44. def. 2.* Caute uero ſeparanda eſt donatio propter nuptias a dotalitio: illa dotem numquam abſorbet, ſed cum dote praeſtatur uxori, pro parte in pactis dotalibus conuenta.

16. *Debeturne hoc in concurſu creditorum?*

Aff. ſi aes alienum contractum poſt conſtitutum dotalitium, uel illarum dotem; non, ſi antea: nam dotalitium regulariter merum lucrum con-

continet, ut sic creditorum caussa potior. MEV. *Part. I. dec. 137.* ubi id limitat, si dos per dotalitium penitus absorbeatur, quo casu iure dotis gaudet. CARPZ. *Part. I. const. 28. def. 39. n. 6.* Aliud in donatione propter nuptias.

17. *An ualebit in Marchia promiscua dotalitii constitutio?*

Neg. sed consensu electoris opus est, non agnatorum. *Tract. nostr. d. l. §. 13.*

18. *Quodnam moribus dicitur lucrum seu augmentum dotis?*

Quando uxori ultra dotem ex bonis mariti tanta pars proprietatis iure assignatur, quanta est dimidia dotis, ut hinc, quae 100. intulit, ultra ea, mortuo marito, adhuc repetat 50, modo dos fuerit illata. MEV. *Part. V. dec. 62. et Part. II. dec. 224.* Germ. die Verbesserung, quae in Pomerania et Noua Marchia alicubi obtinet, et hoc augmentum dotis eodem priuilegio gaudet, quo dos ipsa. MEV. *Part. II. dec. 228. num. 4.*

19. *Debebiturne hoc lucrum in concursu?*

Aff. Eiusdem enim iuris cum dote reputatur, immo huius pars ex moribus esse censetur; MEV. *Part. VII. dec. 129.* ut hinc ex moribus prouinciae, non ex iure communi, haec quaestio sit decidenda.

20. *An etiam paraphernalia uxoris ex feudo soluenda?*

Aff. si et illa in feudum uersa sint, CARPZOV.

 Part.

Part. III. conſt. 36. def. 9. et de onerib. feud. dec. IIII. poſ. 4. qui ibidem *n. 15.* uerſionem ex illatione praeſumi aſſerit: in *poſit. 6.* uero morgengabam, commeſtibilia, et mercedem habitationis ad debita feudalia non eſſe referenda dicit. Quod ſi tamen in pactis dotalibus promiſſa, et illa conſenſu domini confirmata, aliud dicendum.

21. *Competitne uero uxori ob dotem in feudo ius tacitae hypothecae?*

Neg. de iure communi feudali. SCHRAD. *de feud. Part. VIII. cap. 1. n. 14.* Iure Saxonico tamen ea uxori conceſſa, ſi de dote aliunde ſatiſfieri nequeat. CARPZ. *Part. II. conſt. 25. def. 2.* Immo ius retentionis ubique fere conceditur uiduae, MEV. *Part. III. dec. 370.* quod tamen ius adminiſtrandi non tribuit. MEV. *Part. III. dec. 255.*

22. *Sed annon alias tacitae hypothecae in feudo locus?*

Non, ne quidem in Pomerania. Licet enim ibi feuda aeri alieno obnoxia: ſub generali tamen hypotheca non ueniunt, niſi exprimantur. MEV. *Part. IIII. dec. 321.* Vti enim expreſſe obligari feudum nequit ſine conſenſu domini; ita nec poterit tacite. Quouſque tamen moribus debitum pro onere feudali reputatur, eatenus et hypotheca tacita competere uidetur. STRVV. *cap. 1. th. 27. n. 3.* Sicut et exceptio eſt in fructibus feudi. CARPZ. *d. conſt. 25. def. 3.*

23. *An*

23. *An autem debitum posterius consensu domini munitum praefertur doti anteriori?*

Aff. in feudalibus enim semper primo loco consensus habenda ratio, quamuis priora debita sint feudalia. CARPZ. *Part. II. const. 46. def. 33.*

24. *Quid filiabus ex feudo praestandum?*

Moribus dos et alimenta: utrumque enim moribus Germaniae factum est onus feudi. MEV. *Part. III. dec. 367. n. 2.* LVDW. *Tr. feud. p. 155.* In Pomerania filiabus et matri, si nullus filius adsit, competit, etiam annus gratiae in feudo, de quo uide *Vol. I. Disp. de anno gratiae, cap. 3.*

25. *Annon uero indistincte haec debentur?*

Moribus Saxonicis non, nisi in subsidium, si deficiat allodium, uel non sufficiat. STRVV. *d. c. 14. th. 17.* Moribus Pomeraniae ex feudo debetur, etiamsi hereditas ampla sit. MEV. *Part. III. dec. 363.* Quod idem quoque obseruantia Marchica comprobat, sicut ex uariis praeiudiciis certum est. MVLLER. *Resol. March. 62. n. 16.* Minor tamen dos tali casu ex feudo assignatur, quam si hereditas exigua esset. *Conclus. Pom. tit. 3. c. 4.*

26. *Quanta uero dos ex feudo praestari debet?*

Hoc ex quantitate feudi diiudicandum, ne tertiam uel quartam eius partem excedat, MEV. *Part. III. decis. 364.* nec aeque dote filiarum grauandi sunt agnati, quam filii: MEV. *Part. II*

decis. 119. unde illi ad quantitatem a patre promissam non praecise obligantur. MEVIVS *Part. III. decis. 366.* Inde dubio arbitrio domini quantitas determinanda. STRVV. *cap. 14. th. 17. n. 3.*

27. *Debeturne ex feudo legitima?*

Ex feudo nouo debetur, si pater in eius comparationem maximam patrimonii partem impenderit, CARPZ. *d. const. 46. def. 24.* uel etiam, si bona sua allodialia in feudum obtulerit; alias uero non. LVDW. *Tr. feud. p. 153.* Quod si autem legitimam filia ex feudo acceperit, dotem amplius petere non potest: BRVNNEMANN. *Conf. II. decis. 60.* legitima enim dotis locum occupat.

28. *An expensae, in funus uasalli factae, ex feudo repeti possunt?*

Negat CARPZ. *d. const. 46. def. ult.* sed aequior est sententia, in subsidium ex feudo eas deberi. STRVV. *d. l. th. 20.* HORN. *cap. 21. §. 14.*

29. *Quid si uasallus debitum contraxerit ad praestandum seruitium militare,* zu Aufbringung des Lehen-Pferdes?

Hoc ex feudo soluendum non esse, uult CARPZ. *Part. II. const. 46. def. 34.* quia uasallus percepit fructus, ex quibus seruitia praestanda, ut hinc feudum obligatum dici nequeat. Contrarium tamen in Marchia obtinet, per *Recess. prouinc.* allegatum *in supr. cap. 20. qu. 6.*

CAPVT

CAPVT XXII.

DE

MODIS, QVIBVS OBLIGATIO FEVDALIS SOLVITVR.

GENERALIA CAPITIS.

1. Omnis obligatio feudalis contracta cenſetur intuitu rei in feudum datae, cuius reſpectu praeſtanda fidelitas. Quapropter ſublata re, in feudum conceſſa, uel repudiata, obligatio ad fidelitatem praeſtandam exſpirat.
2. E contrario, ſi uaſallus quidquam committat, quo ſe inhabilem reddit ad ſeruitia, uel fidelitatem domino promiſſam ſtudio uiolet, pariter obligatio reſpectu domini ſoluitur, ut ille feudum conceſſum poſſit reuocare.

1. *Quomodo obligatio inter uaſallum et dominum ſoluitur?*

Sublato uel ademto feudo, cuius intuitu fidelitas promiſſa.

2. *Quot modis uero feudum amittitur?*

Vel *culpa* uaſalli, uel *ſine culpa:* de illo modo in *cap. ſequ.* de hoc in *praeſenti capite* agendum.

3. *Quis eſt primus modus ſine culpa amittendi?*

Interitus rei in feudum conceſſae, utpote ſi terrae motu perierit. *L. 15. §. 2. in fin. D. locat.* Nam et feudum eſt ius in corpore, quo ſublato,

 idem

idem perire necessum est. *Arg. pr. L. D. de usufruct.* RITTERSHVS. *Paratit. feud. Lib. II. cap. 6. qu. 9.*

4. *Sed aedibus in feudum datis collapsis, annon in area subsistit?*

Aff. pinguius enim ius est uasalli, quam usufructuarii. STRVV. *cap. 15. th. 4.*

5. *Quomodo porro tollitur obligatio feudalis?*

Per consolidationem, si dominium utile ad dominum, uel dominium directum ad uasallum perueniat.

6. *Qua ratione illud contingit?*

Vel *praescriptione*, de qua dixi *cap. 11. qu. 7. seqq.* uel *morte uasalli* sine heredibus masculis, aut successoribus feudalibus; VVLT. *Lib. I. cap. 11. n. 6.* uel *refutatione*, de qua in *quaest. 11. sequ.* uel per *emtionem* aliumue contractum ad dominium transferendum habilem.

7. *Sed quid, si dominus sine herede decedat, an dominium directum consequitur uasallus?*

Ita uolunt, cum domini et uasalli par deceat esse conditio *2. F. 26. §. domino*, VVLT. *d. l. n. 7.* Verum cum dominus dominium directum iure allodiali habeat, nec hoc dependeat a uasallo: is succedet, qui alias in allodio succedere posset. Aliter STRVV. *cap. 15. th. 3. n. 3.*

8. *Ex-*

8. *Exſtincto, per mortem uaſalli, feudo, habentne agnati eius ius petendi a domino, ut ipſis prae aliis concedat feudum?*

Neg. ſed feudo ſemel ad dominum reuerſo, in libero eius arbitrio eſt, idem conferendi, cui uelit. *Arg. L. 21. C. mandat.* RITTERSHVS. *Lib. II. cap. 6. qu. 4.*

9. *Annon tempore finitur feudum?*

Non, ſed regulariter perpetuum eſt, niſi certò pacto ad tempus conceſſum, quo caſu, lapſò tempore, exſpirat. RITTERSHVS. *d. l. quaeſt. 7.* STRVV. *th. 6.*

10. *Quid ſi uaſallus clericatum ſuſcipiat?*

Feudum amittit, *2. F. 21. et 2. F. 20. §. qui clericus*, cum ad ſeruitia ſuo facto ſit factus inhabilis: RITTERSHVS. *d. l. qu. 5.* SCHRAD. *Part. VIIII. cap. 10. num. 1.* quam cauſſam amittendi feudi hodie non obtinere, dicunt. STRVV. *cap. 9. th. 9. in med.* Quid in Saxonia obtineat, uide apud CARPZ. *Part. III. conſt. 28. def. 1. ſeqq.* Vid. ſupr. *cap. 15. qu. 23.*

11. *Licebitne uaſallo renunciare feudo?*

Aff. per modum refutationis, de quo uide *ſupr. cap. 19. qu. 20.* quod poterit ſine domini uoluntate. *2. F. 38.* LVDW. *Synopſ. p. 309.*

12. *An uero promiſcue refutatio uaſallo conceſſa?*

Aff. modo non fiat intempeſtiue, utpote domino

mino in procinctu exsistente: sic enim dominum sequi in bellum tenebitur, VVLT. *cap. 10. n. 76. p. 632.* nisi alium aeque idoneum uasallum substituere posset. ROSENTHAL. *cap. 9. concl. 51. in gloss. litt. f.* LVDW. *d. l. p. 311.*

13. *Sed an ita post refutationem uasallus domino obstrictus non est?*

Neg. fidelitatem enim ratione rei in feudum acceptae praestare tenebatur, qua in manus domini restituta, cessat obligatio, nec ulterius stringit iuramentum, quippe quod sequitur naturam actus. HATTYSER. *Anal. feud. cap. 11. pr. litt. d.* LVDW. *p. 311.* Dominum tamen offendere postea non debet, *2. F. 38. in fin.* in memoriam quasi prioris dominii. *Arg. L. 18. §. 6. D. de quaest. L. ult. D. de decur.* RITTERSHVS. *Lib. II. cap. 2. qu. 12.*

14. *An autem domino perinde reuocare feudum licet?*

Neg. feudum enim principaliter in uasalli fauorem datur, cui eapropter renunciatio permittenda, *L. fin. C. de pact.* sed ipsi inuito ius quaesitum non auferendum. Dominus uero nullum inde damnum sentit, sed plenum dominium recipit. BITSCH. *Comm. ad 2. F. 14. pag. 300.* Vnde et si dominus dominio directo renunciare uellet, hoc, inuito uasallo, ob eamdem rationem facere posset.

15. *Pote-*

15. *Poteritne dominus ob ſuperuenientiam liberorum feudum reuocare?*

Ita uolunt, argumento a donatione deſumto, quae ob illam cauſſam reuocatur. *L. 8. C. de reuoc. donat.* Sed contrarium uerius; non enim eſt feudum donatio ſimplex, ſed ob cauſſam facta, ſcil. ob merita praecedentia, et futura ſeruitia. SCHRAD. *Part. VIIII. cap. 10. n. 7. ſeqq.* TIRAQVELL. *ad d. L. 8. C. de reuoc. donat. uerb. donatione largitus, n. 273.*

16. *Feudo ſine culpa finito, quid iuris in meliorationibus feudi?*

Melioramenta feudi cenſentur iure allodialium. SCHRAD. *Part. X. ſect. 18. n. 127.* Hinc uaſalli heredes eadem repetere poterunt; et filiabus hoc nomine competit ius retentionis. MEV. *Part. III. deciſ. 368.* Nec cum ipſo feudo ueniunt ad dominum, SCHRAD. *Part. II. cap. 9. pr. ſect. 2. n. 20.* niſi forte hoc ob culpam amiſſum. STRVV. *cap. 15. th. 19.*

17. *Sed conſequunturne heredes tantum, quantum impenſum; an uero ſaltem praeſentem aeſtimationem?*

Aff. poſterius, ſi ſumtus ſint maiores melioratione; ſi ſint minores, affirmatur prius. *L. 38. D. de rei uind.* MEV. *Part. III. deciſ. 41. n. 2.* Conf. SCHRAD. *d. ſect. 2. n. 100.*

18. *An*

18. *Annon uero fructus ex feudo percepti, cum meliorationibus compensandi?*

Obtinet hoc in bonae fidei possessore. *L. 48. D. de rei uind.* Sed cum uasallo competat utile dominium, hoc non admittit fructuum compensationem. SCHRAD. *d. l. n. 29.*

19. *Numne etiam expensae in deboscando, uel nemora inculta ad culturam redigendo, repetuntur?*

Aff. Quia et haec ad perpetuam feudi utilitatem pertinent, et dominus feudum melius recipit. SCHRAD. *d. sect. 2. n. 105.*

20. *Sed quid, si feudo quid decesserit?*

Vasallus eiusue heres in eadem bonitate restituere debet, qua accepit. SCHRAD. *d. Part. VIIII. pr. sect. 5. n. 11.* Est enim in iure meliorationis et deteriorationis eadem ratio; CARPZ. *Lib. VI. resp. 1. n. 19.* nisi casu fortuito deterius redditum fuerit feudum. SCHRAD. *d. l. n. 22.*

21. *Quid hic singulare iure Saxonico?*

Ibi heredes impensas factas in aedificium feudo impositum repetere nequeunt, sed cedunt solo feudali. CARPZ. *Part. III. const. 31. def. 1. seqq.* Quorsum et molendina pneumatica pertinent. *decis. elect. 53.* Aliae uero meliorationes pariter ad heredes allodiales transeunt. CARPZ. *d. const. 31. def. 3.*

CAPVT XXIII.

DE DELICTIS FEVDALIBVS, ET AD QVEM OB ID DEVOLVATVR FEVDVM.

GENERALIA CAPITIS.

Cum per iuramentum fidelitatis conſtringatur uaſallus, ut bona, famam, et perſonam domini defendat; fluit exinde, toties uaſallum feloniam committere, quoties contra alterutrum horum peccauerit.

1. *Quomodo in genere delictum feudale appellatur?*

Felonia. 2. *F. 26. ſſ. domino.* Ex quo textu patet, tam a uaſallo, quam a domino feloniam committi poſſe.

2. *Vnde dicitur* felonia?

Variant hic doctores in alluſionibus ſuis. Alii a *fallere* deducunt, et hinc *fallonia* legunt. Alii a Germanorum fehlen, quod eſt errare: STRVV. *cap. 15. th. 8. n. 1.* hinc Germanis dicitur ein Lehens-Fehler. Alii a Graeco Φήλωμα, quod impoſturam et fallaciam ſignificat. VVLT. *cap. 10. n. 7.* Quidquid ſit, uocabulum barbarum eſt, et quidem Langobardorum, ANTON. *Diſp. VI. th. 1. litt. d.*

3. *Quo-*

3. *Quotupliciter feloniam committit uasallus?*

Dupliciter, uel *committendo*, uel *omittendo*, quamquam illud proprie felonia dicatur.

4. *Quomodo committendo?*

Quoties uel directo, seu immediate, uel indirecto, seu mediate in dominum peccat.

5. *Quomodo directo in dominum peccat uasallus?*

Si eum occidat, quacumque ratione id contingat, etiamsi aggressus tantum fuerit; uel uulnerauerit; 2. *F.* 24. *ʃ*. 2. *uerʃ. porro ʃi*, ANT. *Diʃp. XI. th.* 3. *litt. a. et b.* immo etiamsi manus tantum contra eum leuauerit, *arg. L.* 15. §. 1. *D. de iniur.* LVDW. *p.* 327. quod delictum uocatur *admenatio*.

6. *Quid ʃi ergo defenʃionis cauʃʃa occidat?*

Non priuatur, si aliter mortis periculum effugere non potuerit. ANTON. *d. l.* Alia quaestio est, *ʃi uaʃallus ʃimul ʃit ʃubditus*, de quo alibi.

7. *Quid ʃi uerba iniurioʃa tantum effundat?*

Nihilominus pro felonia reputatur. *d. text.*

8. *Quid ʃi cum inimicis domini amicitiam contraxerit?*

Feloniam incurrit, modo in perniciem domini

ni fecerit, 2. *F. 57.* ANTON. *d. th. 3. litt. d.* Amicitia autem in dubio potius dolo contracta praesumitur, scilicet, si illa a uasallo contrahatur, postquam iam inimicitia domini exorta, ut sic uasallo contrarii probatio incumbat. CARPZ. *Disp. feud. VIIII. th. 12.*

9. *Quomodo porro uasallus in dominum directo delinquit?*

(1) Si eum de crimine capitali accuset: uel testimonium in tali caussa contra eum sponte dicat, quamquam in ciuili caussa possit. 2. *F. 33. §. similiter.* (2) Si eum famosa actione conueniat. 2. *F. 22. §. curia.* (3) Si secreta domini reuelauerit, quod credentiam manifestare dicitur: 1. *F. 17.* modo dolose fecerit in damnum domini, etiamsi euentus non fuerit secutus, ANTON. *Disp. XI. th. 2. litt. f.* de quo uid. *Disp.* nostr. *de credentiae reuelatione.* (4) Si rem feudalem esse dolose negauerit: ubi tamen illa tantum parte priuandus, quam feudalem esse negauit. 2. *F. 26. §. uasallus,* STRVV. *cap. 15. th. 9. n. 7.*

10. *Quid autem, si crimen uerum sit, ob quod uasallus dominum accusat?*

Nec sic accusatio permissa erit, ob arctissimum uinculum, quo uasallus domino obstringitur. Nec obstat, quod delicta non debeant manere impunita, *L. 51. D. ad leg. Aquill. resp.* reue-

landa tamen ab eo, qui accusare non prohibetur. LVDWELL. *pag.* 331.

11. *Quomodo per indirectum uasallus peccat in dominum?*

(1) Si illos, qui in familia domini sunt, enormi iniuria affecerit, ut si dominum cucurbitauerit, de qua uoce uid. BITSCH. *Comm. feud. ad 1. F. 5. pag.* 87. seu uxori ipsius stuprum intulerit 1. *F.* 5. (2) Si in extraneum atrocia quaedam delicta patrauerit, ob quae feudo indignus efficiatur.

12. *Quid si uxorem domini uolentem cognouerit?*

Non excusatur uasallus, quia etiam sic fidem domino datam uiolat. SCHRADER. *Part. VIIII. cap.* 2. *num.* 19.

13. *Quid si ignorauerit, esse eam uxorem domini?*

Ex ratione iuris Romani nihilominus feudo priuandus erit, cum uersetur in re illicita, et sufficiat, quod in genere sciuerit, illam esse alicuius uxorem. *L.* 18. §. *fin. D. de iniur.* Feudistae tamen eum a feudi priuatione absoluunt, cum absit animus laedendi dominum. SCHRA-

DER

DER. *Part. II. p. 9. princ. sect. 7. quaest. 22. num. 64.*

14. *Quid si concubitum modo tentauerit?*

Nihil intereſt, an conſummatus, an tentatus concubitus, *1. F. 5.* ibi: *concumbere ſe exercuerit*, id eſt, tentauerit. Si uero, cum perficere potuiſſet, poenitentia ductus noluit, excuſatur: ANTON. *Diſp. XI. th. 5. litt. b.* modo tamen ad actus aliquos prohibitos, feudi priuationem per ſe merentes, nondum peruenerit. LVDWELL. *pag. 341.*

15. *Quid ſi oſculum dederit?*

Etiam ob oſculum luxurioſum uaſallum feudo priuari poſſe, ſtatuit ANTON. *d. l. et* VVLTEI. *cap. 11. n. 31.* ob textum *1. F. 5.* ibi: *cum ea turpiter luſerit.* De quo turpi luſu uide, quae notaui in *Tract. de iure ſenſ. Diſp. VII. c. ult. num. 24.* In dubio uero, niſi mos regionis aliud ſuaſerit, oſculum praeſumitur luxurioſum: ROMAN. *Diſſ. de oſculo. §. 24. et 26.* a qua praeſumptione male excuſantur clerici, quaſi hi benedictionis cauſſa oſcularentur. LVDW. *p. 339.* ROMAN. *d. l.* §. 27.

16. *Ob quale ſtuprum porro priuatur uaſallus feudo?*

Si cum domini filia, aut cum nepte ex filio, aut cum ſorore domini, in domo eius uiuente, et adhuc in capillis exſiſtente, *2. F. 24. ʃ. 2. uerſ. rurſus*, i. e. nondum elocata, concubuerit *1. F. 5. §. item ſi fidelis.* Hae enim perſonae in familia domini ſunt. STRVV. *cap. 15. th. 9. n. 9.*

17. *Quid ſi cum uidua domini?*

Vaſallus feudo non priuatur, concubitus enim domino uiuente requiritur, *2. F. 21. ʃ. ſi quis*, niſi fiat intra tempora luctus, STRVV. *d. l.* uel niſi praeſentis domini mater eſſet.

18. *Quomodo ratione feudi laeditur dominus a uaſallo?*

Vel *alienando*, uel *deteriorando.*

19. *Quare ob alienationem priuatur feudo?*

Quia domini conſenſum non implorando eum contemnere uidetur. *2. F. 24. in fin.* Si tamen ſub conditione, *ſi dominus conſenſerit*, alienauerit, priuatio ceſſat, ANTON. *Diſp. XI. th. 6. litt. b.* STRVV. *cap. 13. th. 12.* quod limitat ROSENTH. *cap. 9. concl. 61. n. 6.* modo traditio nondum ſecuta. Vide tamen *qu. 22.*

20. *Quid ſi putauerit, eſſe rem allodialem?*

Iuramento ſe purgabit, et ſic feudum recipit; *2. F. 42.* ANTON. *d. th. 6. litt. b.* uaſallus uero emtori ad intereſſe tenetur. *1. F. 26. §. ſi uaſallus.*

21. *Quid ſi dubitauerit, an res ſit feudalis, an allodialis?*

Benignior ſententia eſt, feudo uaſallum non priuari: *2. F. 26. §. uaſallus feudum,* ANTON. *d.c.* LVDW. *p. 357.* dubitans enim tantum in culpa eſt, non in dolo; quamquam diſſentiat STRVV. *cap. 13. th. 9. n. 3.*

22. *Quid ſi uendiderit feudum, ſed non tradiderit?*

Conuentio de alienando non ſufficit, ſed realis feudi tranſlatio neceſſaria; nec alienatum cenſetur, quod in dominio uenditoris manet, *L. 67. D. de uerb. ſign.* Fictam tamen traditionem, ut, quae fit per conſtitutum poſſeſſorium, ad priuationem ſufficere, putat LVDWELL. *pag. 353.* VVLTEI. *cap. 11. n. 42.* realem uero traditionem exſpectandam eſſe, aequius exiſtimat STRVV. *d. th. 9. n. 5.* In poenalibus enim uerba ſtricte capienda.

 23. *Quid*

23. *Quid si feudi alienati possessionem statim recuperauerit?*

Iure stricto non recipit feudum, cum delictum semel fuerit consummatum, et est textus 2. *F. 44.* quam hic doctores quoque contrariam, ut aequiorem, magis sequantur, textum allegatum explicantes de recuperatione possessionis ex interuallo. LVDW. *p. 353.* STRVV. *d. cap. 13. th. 12. num. 1.*

24. *Quomodo deteriorando uasallus feudum amittit?*

Si insignis deterioratio fit, dolo uel culpa lata uasalli admissa. STRVV. *cap. 15. th. 5.* ANTON. *d. th. 6. litt. c.* Quo casu uasallus feudo non tantum priuatur, sed et agnatis ad interesse tenetur: CARPZ. *Part. III. const. 31. def. 8.* Et hoc uel actione legis Aquilliae, uel in factum. *Arg. L. 59. D. de legat. 1.*

25. *Vnde uero de quantitate deteriorationis constabit?*

Arbitrio iudicis eadem aestimanda, qui id potissimum attendet, an deterioratio ad perpetuam feudi iacturam spectet. VVLT. *cap. 11. num. 49.* LVDW. *p. 345.* MENOCH. *de arbitr. iud. qu. Lib. II. cas. 78.* SCHRAD. *Part. VIIII. cap. 6. n. 61.*

26. *Sed*

26. *Sed an denunciatione opus, ut ob deteriorationem quis feudo priuetur?*

Volunt hoc doctores citati a SCHRAD. *Part. VIIII. cap. 6. n. 67.* ob textum *2. F. 27. §. 8.* ibi: *a domino suo admonitus.* Si tamen aliunde de dolo uasalli constet, denunciatio necessaria non uidetur, LVDW. *p. 345.* et textus allegatus de saeuitia tantum loquitur.

27. *Quid si partem feudi deteriorauerit?*

Parte tantum, non toto feudo priuabitur uasallus. STRVV. *cap. 15. th. 5. num. 1.*

28. *Quaenam sunt delicta in extraneum commissa?*

(1) Parricidium, *1. F. 5. §. item si frater.* (2) Proditio conuasalli. *2. F. 17.* ibi: *hominem tradendo.* (3) Crimen maiestatis. (4) Incestus. (5) Nimia in subditos saeuitia. *2. F. 27. §. quicumque, ibi: inornate tractauerit.* ANTON. *Disp. XI. th. 7.* STRVV. *cap. 15. th. 10.*

29. *An ob omne parricidium uasallus priuatur feudo?*

Hoc aff. communiter STRVV. *c. 15. th. 10. n. 1.* VVLT. *cap. 11. num. 34.* Textus tamen 2. F. 37. non de simplici parricidio loquitur, sed si frater fratrem hac intentione occidat, ut eius hereditatem, uel ius in feudo ad se transferat, quo casu re-

reuera circa feudum deliquiſſe uidetur. Et hoc modo reliquos quoque textus explicat LVDW. *pag. 367.* Vid. tamen CARPZ. *Diſp. feud. VIIII. th. 25.* qui illud generale eſſe contendit.

30. *Quare prodendo conuaſallum amittitur feudum?*

Quia per proditionem efficitur, ut uaſallus amplius in curia ſtare non poſſit: hinc ipſum dominum iniuria tangit. STRVV. *cap. 15. th. 10. num. 2.*

31. *Quare ob crimen maieſtatis priuatur feudo?*

Quia in principem et patriam iniurioſus exſiſtit uaſallus, et ſic nec amplius feudo dignus. Inſuper etiam cum caetera uaſalli bona confiſcentur, feudum quoque ad dominum reuertitur. STRVV. *n. 4.*

32. *Sed cur non ad fiſcum?*

Quia uaſallus delinquendo domini ius deterius reddere non potuit: unde, ſi uaſallus principis in imperatorem maieſtatis commiſerit, bona non imperatori, ſed principi, in cuius territorio ſunt, cedunt. *Cap.* LEOP. *art. 27.*

33. *Cur ob inceſtum feudo priuatur?*

Quia honeſte in curia domini ſtare amplius non

non poteſt; et ob inceſtum quoque uaſalli bona confiſcantur, STRVV. *d. l. n. 3.* VVLT. *cap. 11. n. 36.* Quamquam haec cauſſa iure feudali non ſit expreſſa: unde et diſſentit LVDW. *p. 369.*

34. *Quomodo omittendo peccat uaſallus?*

Seruitia omittendo, periculum famae, bonorum uel corporis a domino non auertendo, inueſtituram non renouando. ANTON. *Diſp. XI. th. 8.*

35. *Quomodo ob ſeruitia denegata amittitur feudum?*

Si uaſallus domino exigenti eadem denegauerit, 2. *F.* 21. ubi non in lapſu temporis, ſed ex actione ſeruitiorum ratio decidendi collocanda; nam ſeruitia non debentur, niſi indicta: *ſupr. cap. 18. qu. 33.* niſi tamen iuſtam excuſandi cauſſam habeat uaſallus. KOHL. *de ſeruit. feud. Part. ult. num. 68.*

36. *An uaſallus dominum in acie deſerendo feudo priuatur?*

Affirm. etiamſi dominus periculum inde paſſus non ſit. Sufficit enim, quod pati potuiſſet: SCHRADER. *Part. VI. cap. 6. n. 74.* quod et ad alia, quam belli pericula extendunt doctores. VVLT. *cap. 11. n. 19.*

37. *Quid si iam caesus sit dominus, uel lethifere uulneratus?*

Excusatur uasallus, quamuis ex probabili tantum caussa existimet, dominum esse mortuum uel uulneratum. ANTON. *Disp. XI. th. 8. litt. b.* Quod et ad casum, si uasallus ob uulnera propria inutilis ad defendendum dominum redditus sit, extendendum. SCHRAD. *d. cap. 6. n. 82.* Prius tamen limitandum, nisi adhuc exercitus domini pugnet, quem nec mortuo domino deserere licet, cum reip. pariter et futuri successoris caussa simul agatur. Vid. *Disp. de uasallo desertore, cap. 2. n. 119. seqq.*

38. *Sed quid, si substitutus uasalli dominum in acie deserat?*

Non priuandus feudo, ne ex alterius delicto puniatur. Nec obstat, quod substitutus circa officium sibi commissum deliquerit. Eo ipso enim non ulterius dominum, quam ad interesse ciuile obligare potest, non uero ad poenam. KOHL. *de seruit. feud. Part. ult. n. 179. sequ.*

39. *An autem uitam domini uitae suae praeferre tenetur?*

Neg. cum ordinata charitas incipiat a se ipsa, et nemo se pacto obstringere possit ad id, quod in sua potestate non est, insuper nec libertus uitam patroni suae praeferre tenetur. *Arg. L. 5. §. penult.*

penult. D. de agnosc. et al. liber. KOHL. *de seruit. feudal. Part. IIII. num. 21.* VVLT. *cap. 10. num. 28.* Non uero hic confundendus est subditus cum uasallo: hic ex nudo pacto obligatus domino; illum uero Deus subiicit principi, quoad uitam et bona. Et si modo casus paullo aliter formetur: an scilicet nobilis a rustico aliquot iugera feudi nomine tenens, uitam suam uitae rustici postponere debeat? Decisio in oculos incurrit.

40. *Quid si dominum captiuum non redemerit?*

Vide supra *cap. 18. qu. 36.*

41. *Quomodo renouationem inuestiturae negligendo peccat uasallus?*

Si intra annum et diem eam non petat. Vid. supra *cap. 17. qu. 11.*

42. *Annon omnis caussa exheredationis est etiam sufficiens ad amissionem feudi?*

Ita uidetur, ob text. 2. F. 24. *§. praedictis modis.* Sed huius paragraphi hic sensus est: sicuti caussae exheredationis certa lege determinatae, ita etiam caussas, ob quas quis feudo priuari possit, illo titulo propositas esse, et ut ob eas quis amittat feudum, ciuilem et naturalem rationem suadere. VVLT. *cap. 11. num. 13.* LVDW. *p. 325.* FINCKELTH. *D. X. contr. 6.*

43. *Er-*

43. *Ergone alia caussa non admittenda, quae iure feudali non expressa?*

Iudicis arbitrio hoc committendum, an caussa sit similis uel maior; leuior enim non admittenda. 2. *F.* 24. *§. quia*; MENOCH. *de arbitrar. iudic. quaest. cas.* 267. VVLT. *d. l. n.* 15 Exempla uide apud ROSENTH. *cap.* 10. *concl.* 15.

44. *Num uasallus ob feloniam commissam ipso iure priuatur feudo?*

Non, sed caussae cognitio praecedere debet, 1. *F.* 21. ibi: *sine cognita culpa*, sc. an iustam excusandi caussam habeat uasallus; postea sententia condemnatoria opus est, quam non declaratoriam, sed priuatoriam, putamus cum STRVV. *cap.* 15. *th.* 11. *num.* 3. Feudum tamen alienatum ipso iure ad dominum reuertitur. STRVV. *d. l. n.* 6.

45. *Quomodo remittitur felonia?*

Vel *expresse*, si uerbis hoc declaretur; uel *tacite*, si non attento delicto nihilominus eum pro uasallo agnoscat, uel de culpa, de qua tamen ipsi constabat, non conquestus moriatur. *Arg. L.* 7. *C. de reuocand. donat.* STRVV. *th.* 12. *n.* 4. Quorsum et praescriptio 30. annorum spectat. STRVV. *d. l. n.* 8.

46. *Ad*

46. *Ad quem feudum ob commiſſam feloniam deuoluitur?*

Feudum nouum indiſtincte ad dominum redit. STRVV. *cap. 15. th. 13.* Quod ad *antiquum* attinet, diſtinguendum, *an culpa in dominum commiſſa, an in extraneum.* Illo caſu, ſiue hoc directe, ſiue indirecte factum, ad dominum reuertitur feudum; hoc caſu, ſi in extraneum culpa commiſſa, agnatis ſtatim defertur feudum, filiis uaſalli excluſis. STRVV. *th. 14. et 15.* Iure tamen Saxon. hoc caſu filii feudum retinent. CARPZ. *Part. III. conſt. 27. def. 3.*

47. *Quid ſi patre delinquente feudum adhuc apud auum fuerit?*

Sic admittuntur nepotes, qui ita non patri, ſed auo, in feudo ſuccedunt. ANTON. *Diſp. XII. th. 3. in fin.* ROSENTH. *cap. 11. concl. 6. n. 7. ſequ.*

48. *An autem priori caſu agnati plane admittuntur?*

Si ex uaſalli delinquentis deſcendentibus nemo amplius adfuerit, agnati admittendi; STRVV. *th. 14.* horum enim ius per delictum uaſalli interuerti non potuit. Diſſentit LVDW. *p. 387.* agnatos excludendos putans: ſed male, cum non ulterius feudum ad dominum deuolutum, quamquouſque ſe ius uaſalli delinquentis extendit.

49. *Pot-*

49. *Poteſtne dominus inuitis agnatis feloniam remittere?*

Si in Dominum commiſſum delictum, indiſtincte poteſt remittere. BRVNNEM. *Conſil. 8.* Si in extraneum; aut ſententia priuatoria lata eſt, aut non; hoc caſu remiſſio locum habet, non illo, quia per ſententiam agnatis ius quaeſitum. STRVV. *cap. 15. th. 12. n. 9.*

50. *Quid ſi dominus in uaſallum delinquat?*

Ex iiſdem cauſſis, quibus uaſallus dominium utile, dominus quoque dominium directum amittit, cum iudicentur ad paria. STRVV. *cap. 15. th. 18.* Modo tamen manifeſta diſparitatis ratio non adſit; qualis eſt in ſeruitiorum praeſtatione, ad quae dominus non obligatur. Vid. KOHL. *de ſeruit. feud. Part. II. num.* 121. *ſeqq.*

51. *Sed quid in uaſallis imperii, ſi dominus uel imperator illos bello petat, an ſic imperator domino directo excidit?*

Status imperii non ſolius imperatoris uaſalli ſunt, ſed imperatoris et imperii coniunctim. Quamuis ergo imperator fidem, quam ſtatibus debet, uiolet: ſaluus tamen manet nexus ſtatuum cum imperio.

CAPVT

CAPVT XXIIII.
DE
ACTIONIBVS FEVDALIBVS.

GENERALIA CAPITIS.

1. Quoties de feudo constituendo, seu de feudo promisso agitur, tunc illa actio datur ad consequendum feudum, quae alias ex illo negotio nascitur, mediante quo alter ad feudum praestandum se obligauit.

2. Quoties uero feudum iam tum per inuestituram constitutum est, toties omnis illa actio sibi locum uindicat utiliter, quae domino uero alias competit directe. *Quale enim dominium, talis actio.*

1. *Quotupliciter actiones circa feuda competunt?*

Vel de feudo constituendo, uel iam constituto; et utroque casu tam domino, quam uasallo, datur actio.

2. *Quomodo de feudo constituendo datur domino?*

Si uasallus, se rem suam ut feudum a domino recognoscere uelle, promiserit, et postea hoc facere recusauerit. ANTON. *Disp. XIII. th.* 1. *litt. d.*

3. *Quan-*

3. *Quando uasallo contra dominum de constituendo feudo actio datur?*

Si dominus feudum promiserit, et postea tradere detrectet, quod facere nequit, cum interesse praestando non liberetur. Vid. *supr. cap.* 12. *qu.* 18.

4. *Qualis uero actio dabitur uasallo?*

Ex illo contractu, per quem ad feudum praestandum se obligauit dominus, e. gr. si per stipulationem, actio ex stipulatu: si per uenditionem, actio emti locum habebit. ANTON. *d. th.* 1. *litt. g.*

5. *Quid uero, si nullus contractus accesserit?*

Ex sola tamen promissione, tamquam ex pacto, moribus nostris datur actio, quae hinc etiam condictio ex moribus appellatur. ANTON. *d. l. litt. f.*

6. *Quae actio domino competit, si feudum iam constitutum?*

Directa rei uindicatio, qua feudum a quouis extraneo possessore reuocat. STRVV. *cap.* 16. *th.* 2. *n.* 3.

7. *Quid uero, si uasallus et dominus in uindicatione feudi concurrant?*

Vasalli caussa potior est, ob dominium utile,

LVDW. *pag. 410.* et domino nullum contingit praeiudicium. Hinc, ſi uaſallus uel nolit, uel non poſſit agere, dominus demum admittitur. STRVV. *d. l.* ANTON. *Diſp. XIII. th. 15. litt. e.*

8. *An contra uaſallum dominus uindicatione uti poteſt?*

Neg. niſi feudum finitum, uel ob feloniam ad dominum reuerſum, uaſallus tamen nihilominus detineat, SCHRAD. *P. II. p. 9. pr. ſect. 9. n. 22.* STRVV. *cap. 16. th. 2. n. 4.* modo ſententia priuatoria acceſſerit; nam ipſo iure feudum non amittitur. Vid. *ſupra cap. 23. qu. 44.* Alias actiones, amiſſo feudo domino competentes, recenſet SCHRADER. *cit. loc.*

9. *Qualis ad ſeruitia praeſtanda domino competit actio?*

Non uindicatio, ſed actio perſonalis ex contractu feudali oriunda. STRVV. *d. th. 2. n. 5.* Quo caſu et actionem praeſcriptis uerbis locum habere poſſe, probat LVDWELL. *pag. 412.* ob concurrentem contractum innominatum, *do, ut facias.*

10. *Quae uero ob ſeruitia non praeſtita actio datur?*

Reuocari feudum poteſt condictione cauſſa data, cauſſa non ſecuta. *1. F. 21.* STRVV. *d. l. n. 1.*

11. *Competuntne domino ratione feudi actiones ex interdictis?*

Aff. uel retinendae possessionis, uel recuperandae.

12. *Quomodo* retinendae?

Si uel a uasallo in quasi possessione dominii directi turbetur; uel ab extraneo in perceptione seruitiorum impediatur, ubi utili actione ex interdicto *uti possidetis*, agere poterit. ANTON. *Disp. III. th. 5. litt. b.*

13. *Quomodo* recuperandae?

Si uel dominum uasallus amplius recognoscere nolit, et seruitia exigenti restiterit; uel alius per uim seruitia uel pensiones a uasallo exegerit. ANTON. *d. l. litt. c.*

14. *Quae ob feudum alienatum domino datur actio?*

Aut licite alienatum, i. e. consensu domini, et ita actio non datur; aut illicite, et rei uindicatio competit.

15. *An et praeiudicialis actio domino datur, si quis neget, se uasallum esse?*

Negat hoc STRVV. *cap. 16. th. 2. num. 6.* Quod de directa concedimus: nam in personam uasalli ius

ius nullum dominus habet. Vtilis tamen actio, quod locum habere poſſit, argumento a liberto deducto, probat LVDW. *p. 415.*

16. *Quae actio datur uaſallo de feudo conſtituto?*

Vel *realis*, uel *perſonalis.*

17. *Quando actio realis ei competit?*

Si feudum ab alio detineatur, ubi uaſallus utili rei uindicatione illud repetere poteſt, 2. *F. 8. ſ. rei*, etiamſi dominus feudum detineat, agit enim contra fidem cotractus, et hinc iniuſte poſſidet. ANTON. *Diſp. XIII. th. 3. litt. c.*

18. *Poteritne uero uaſallus etiam Publiciana actione experiri?*

Aff. etiamſi ipſe dominus poſſideat; ANTON. *d. l.* poſſeſſio enim intuitu utilis dominii eſt uitioſa. Nec obſtat, quod Publiciana contra dominum non detur. §. *4. Inſt. de act.* Aliud enim eſt in uaſallo, quam bonae fidei poſſeſſore. Ille cauſſam a uero domino habet; hic uero a non domino. LVDW. *p. 414. Vid. Vſ. modern. Dig. tit. de Publ. act. §. ult.*

19. *An etiam actio confeſſoria et negatoria uaſallo datur?*

Aff. quoties ſeruitus feudo debita ipſi denega-

tur, uel alius seruitutem in feudo sibi adscribere uult. *d. §. rei.* ANTON. *litt. e.* BITSCH. *ad* 2. *F. 8. pag.* 257. sicut et aliae actiones, quae iure ciuili utile dominium habenti competunt, uasallo non denegandae, ut actio communi diuidundo, finium regundorum, actio furti, cet. ANTON. *d. l. litt. g.*

20. *Sed an petitione hereditatis uti poterit?*

Aff. si feudum sit mere hereditarium, et alter pro herede uel possessore possidet. Alias rei uindicatione opus habet, ob dominium per successionem ad uasallum deuolutum. ANTON. *d. l. litt. h.*

21. *An et interdictis uti poterit?*

Aff. et quidem *adipiscendae* possessionis, ut, *quorum bonorum*, quod datur ab intestato successuro; *retinendae*, uel interdictum, *uti possidetis*, contra quemuis turbantem; *recuperandae*, si uasallus possessione sua spoliatus, ubi uel interdictum, *unde ui*, locum habet, uel actio *de spolio* ex *can. redintegranda. C. 3. quaest. 1.* ANT. *d. l. th. 4.* hoc casu tamen contra dominum potius actio in factum instituenda, STRVV. *cap. 16. th. 3. n. 3.* LVDW. *pag. 416.* nisi uis armata a domino illata. STRVV. *cap. 11. th. 3. n. 1.*

22. *Quae-*

22. *Quaenam perſonalis actio uaſallo contra dominum competit?*

Ex contractu feudali, ad praeſtandum id, quod dominus uaſallo promiſit, uel, ut fidem quoque reciprocam, uel inueſtiturae renouationem uaſallo non deneget. STRVV. *cap. 16. th. 3. n. 5.*

23. *Quae actio contra dominum euicto feudo datur?*

Condictio ex lege, ſeu potius ex conſuetudine feudali, ut uel feudum aliud eiuſdem bonitatis reſtituat, uel aeſtimationem praeſtet. 2. *F. 8. pr.* LVDW. *p. 415.* Et haec condictio toties obtinet, quoties actionis nomen deficit. *Arg. L. un. D. de condict. ex leg.* Quod ſi uero feudum tali contractu quaeſitum, cui euictioni praeſtatio ineſt, e. gr. ſi feudum emerit, actione ex eodem contractu ad euictionem agitur.

24. *Quaenam alienato feudo agnatis competit actio?*

Vel actio ex iure πρoτιμήσεως, uel ex iure deuolutae ſucceſſionis, quae utroque caſu actio reuocatoria feudi dicitur, ANTON. *Diſp. XIII. th. 6. Vid. ſupra. cap. 20. qu. 2. ſequ.* Omnes autem actiones hucuſque adductae etiam in feudis imperii ſibi locum uindicant. ITTER. *cap. 25. §. 2.*

CAPVT XXV.
DE
IVDICIO ET PROCESSV FEVDALI.

GENERALIA CAPITIS.

1. Conceſſio feudi inuoluit iuriſdictionem in uaſallum, ſed reſpectu tantum eius feudi. Vnde, ſi de feudi conſtitutione nondum conſtet, uel de obligatione perſonali ipſius uaſalli aut domini quaeſtio ſit, non ad iudicem feudalem, ſed ad iudicem ordinarium itur.

2. Controuerſiae autem feudales uel concernunt diuerſos uaſallos, et iudex eſt dominus: uel concernunt ipſum dominum et uaſallum inter ſe, et hoc caſu pares curiae ſeu conuaſalli, non ipſe dominus, iudicabunt.

1. *Quis iudex cauſſarum feudalium?*

Dominus et pares curiae: interdum uero ad ordinarium iudicem recurritur. STRVV. *cap. 16. th. 4.*

2. *Quinam ſunt* pares curiae?

Sunt eiuſdem domini uaſalli in eodem territorio, ita dicti, quod pares ſint inter ſe, reſpectu eiuſdem curiae domini. VVLT. *Lib. I. cap. 7. n. 26.*

3. *Quando dominus competens iudex eſt?*

Si inter plures conuaſallos de feudo controuerſia

uersia moueatur. 2. *F. 55. §. fin.* ANTON. *Disp. XIIII. th. 1.* STRVV. *cap. 16. th. 5.*

4. *Sed annon pares curiae simul adhibere debet dominus?*

Distinguunt doctores inter feuda regalia, et non regalia: in illis solus rex uel imperator iudicat, non adhibitis paribus curiae, *1. F. 18.* in his uero dominus pares curiae simul adhibere debet. *d. text. 1. F. 18. et 2. F. 15. in fin.* STRVV. *d. tr. 5. n. 1.* quod moribus non obtinet, sed in consilio principis caussa uentilatur.

5. *Quis in imperio nostro de feudis maioribus cognoscit?*

Solus imperator per *ord. cam. Part. II. tit. 7.* adeo, ut nec uicariis imperii competat. *d. tit. 7.* STRVV. *d. l. n. 2. et 4.* Dissentit ITTER. *de feud. imp. cap. 25. §. 19.* SCHWEDER. *Iur. pub. Part. spec. sect. 1. cap. 33. §. 7.* CARPZ. *de leg. reg. cap. 11. sect. 15. n. 8.* Quamquam, reliquorum imperii principum consilium in his controuersiis decidendis adhibendum esse, uelit LIMN. *Iur. publ. Lib. II. cap. 9. n. 30. et 54.* Quod non quidem expresso textu, obseruantia tamen aliquoties comprobatum, immo in *Instr. pac. art. 5. §. 55. in fin.* hoc arbitrio eius relictum. Alia ratio est, si ob commissam feloniam feudo priuare principes uelit imperator, quod non potest, ni-

ſi accedente conſenſu electorum. *Capit.* LEOP. *art.* 28.

6. *Quando pares curiae iudicant?*

Quoties controuerſia feudalis dominum concernit, ſiue directo, ſiue indirecto, toties paribus curiae iuriſdictio competit, ne dominus in propria cauſſa iudicet. STRVV. *d. l. th.* 6. Quod et in feudis imperii locum habere exiſtimet ITTER. *cap.* 25. *ſ.* 17.

7. *Quis uero pares curiae eliget?*

Regulariter omnes iudicabunt, niſi uel dominus, uel uaſallus certos elegerint, quod facere poſſunt. Quod ſi unus eligat, alter uero eligere detrectet, electi ab uno iudicabunt. STRVV. *th.* 6. *n.* 3. Potior tamen in electione domini ratio eſt, ANTON. *Diſp. XIIII. th.* 3. modo iuſtam ſuſpicionis cauſſam uaſallus non habuerit.

8. *An pares iudicaturi iuramento nouo conſtringendi?*

Neg. cum nullibi id iure feudali expreſſum: CARPZ. *Part. I. conſt.* 27. *def.* 2. *n.* 8. modo tamen in iuramento fidelitatis ab initio praeſtito clauſula de iure et iuſtitia adminiſtranda fuerit adiecta; alias tutius eſt, ut nouum iuramentum exigatur, ANTON. *Diſp. XIIII. th.* 14. *litt. c.*

STRVV.

STRVV. *d. loc. n. 4.* Quod si uasallus sit simul minister principis, relaxari solet hoc iuramentum, quo speciatim principi obstrictus.

9. *An uero et dominus iurabit?*

Neg. de hoc enim sinistram suspicionem fouere uasallis minime conuenit: ANTON. *d. th. 4. litt. b.* unde nec iuramentum fidelitatis praestat. *Vide supra cap. 13. qu. 13.*

10. *Quando ad iudicem loci ordinarium itur?*

Si uel caussa non feudalis sit, ut de feudo promisso, sed nondum constituto; uel, si quis se uasallum neget; uel inter uasallos diuersorum dominorum lis sit; uel si de alia, non feudali, re litigetur; STRVV. *th. 7. num. 1.* ANTON. *Disput. XIIII. th. 5. litt. a.* uel si iudicium feudale plane deficiat, ut si forte pares alios dominus non habeat. STRVV. *d. l. n. 2.*

11. *An uasalli litigantes arbitrum eligere possunt?*

Aff. si caussa ad ordinarium iudicem spectet: secus in caussa feudali, uid. *supr. cap. 19. qu. 22.* quamquam ultimam etiam uelit STRVV. *d. cap. 6. th. 8.* sed textus ab eo allegati, *2. F. 15. et 2. F. 34. pr.* de caussa non ad dominum feudi,

 sed

ſed ad ordinarium iudicem ſpectante agere uidentur.

12. *Quis modus procedendi in cauſſis feudalibus?*

Regulariter idem obſeruandus, qui alias in cauſſis ciuilibus, niſi ſpeciale quidquam iure feudali diſpoſitum reperiatur; STRVV. *cap. 16. th. 10.* ANTON. *Diſp. XV. th. 1. litt. a.* quae tamen ſpecialia moribus fere plane ceſſant. *Vid. qu. 23.* CARPZ. *Part. I. conſt. 27. def. 2.*

13. *An uaſallus ſine uenia dominum in ius uocare poteſt?*

Negant hoc doctores, exemplo liberti: §. *12. Inſt. de act.* ſed ueniae impetratio in uſu eſſe deſiit, ut ſic ea nec quoad uaſallum neceſſaria ſit; quanquam nihilominus modeſte et reuerenter citationem impetrare debeat. STRVV. *cap. 11. th. 3. n. 2.* Dominus tamen libere uaſallum in ius uocare poteſt. ANTON. *d. l. th. 2. litt. b.*

14. *Quotuplex citatio in cauſſis feudalibus neceſſaria?*

Trina, certo temporis interuallo, ſeptem uel decem dierum diſtincta. *2. F. 22. pr. et 2. F. 24. §. 1.* ANTON. *d. th. 2. litt. c.* Hodie eadem ratio citandi, quae in ciuilibus.

15. *Quid*

15. *Quid si uasallus citatus non compareat?*

Dominus in possessionem feudi mittitur, ubi tamen intra annum uasallo licentia conceditur possessionem recuperandi, 2. *F.* 21. ANTON. *d. l. litt. b.* idemque, si dominus contumax, obtinebit. STRVV. *cap. 16. th. 17.*

16. *An reconuentio coram iudice feudali locum habet?*

Aff. si caussa sit feudalis; secus, si non feudalis; nisi caussae sint plane connexae, ita ut separari non possint. ANTON. *Disp. XIIII. th. 2. litt. b.* Toties enim reconuentio admittitur, quoties caussae qualitas cognitioni iudicis non exemta, uel quoties ipse iudex restrictam iudicandi facultatem non habet: LVDW. *pag.* 417. ANTON. *Disp. XV. th. 3. litt. d.* hinc nec uasallus coram ordinario iudice in caussa feudali reconueniri potest.

17. *An uasallus a domino iuramentum calumniae exigere potest?*

Neg. ob reuerentiam ipsi debitam, 2. *F.* 33. §. *in quibus*, STRVV. *cap. 11. th. 3. n. 5.* quod in *dd. text.* extenditur, ut nec dominus a uasallo exigere possit; ob fidem, qua uasallus domino obstrictus. LVDW. *p.* 418. ANT. *Disp. XIIII. th. 4. litt. b.*

18. *Sed*

18. *Sed quid, si inter ipsos uasallos lis fuerit?*

Hos iuramentum calumniae sibi deferre posse, uerius est, cum nuspiam hoc iure feudali prohibitum, ut hinc standum iuri communi. *2. F. 1.* Nec inter conuasallos tantum fidei aut reuerentiae uinculum subest. LVDW. *p. 419.*

19. *Quae probatio in caussis feudalibus necessaria?*

Quae per testes habiles facta: inhabilis uero iure feudali mulier censetur, *2. F. 32. in fin.* quamquam feminam illustrem aliqui excipiant: ANT. *Disp. XV. th. 4. litt. d. in fin.* haec enim iudicare, caussas cognoscere, et condemnare potest. RITTERSH. *Lib. II. cap. 3. q. 3.* Inhabiles etiam sunt testes extranei. Pares curiae uero regulariter soli pro idoneis reputantur. *d. text. Vid. supr. cap. 12. qu. 9. sequ.*

20. *Quot uero testes requiruntur?*

Duo, interdum quinque. Vid. *supr. cap. 12. qu. 15.* Conf. ITTER. *de feud. imper. c. 25. §. ult.*

21. *Quid si actor in probatione deficiat?*

Non statim absoluitur reus, uti de iure ciuili fieri solet, sed iuramento se purgabit. VVLT. *Lib. II. cap. 3. num. 20.* Quamquam hoc ita expli-

cari

cari possit, ut scil. etiam iure feudali, actore nihil probante, absolutio fiat: nisi alter pro se praesumtiones habeat, sic enim illi, contra quem praesumtiones militant, a iudice deferendum iuramentum. 2. *F.* 33. §. *sacramentum*, STRVV. *cap.* 16. *th.* 16. *num.* 1.

22. *Quomodo praestandum hoc iuramentum?*

Vt non tantum ipse, qui praesumtionibus grauatus, iuret; sed simul 12. sacramentales seu compurgatores iurabunt de credulitate sua, et inter hos 6. ex parentibus, id est, agnatis esse debebant, reliqui uero extranei esse poterant. 2. *F.* 33. §. *et cum datur*, ANTON. *Disp. XV. th.* 6. *litt. c.* VVLT. *Lib. II. cap.* 3. *n.* 20. *in fin.*

23. *Sed quid hodie obseruatur?*

Processus iuris communis regulariter attenditur, et actore non probante, reus absoluitur, nisi coniecturae pro una parte militantes exegerint iuramenti purgatorii delationem, quo casu tamen sacramentales amplius non adhibentur, STRVV. *cap.* 16. *n.* 4. LVDW. *pag.* 420. VVLT. *d. l.* nisi in crimine fractae pacis publicae. *Ord. Cam. Part. II. tit.* 10. GAIL. *de pac. publ. Lib. II. cap.* 7.

24. *Annon praesumtiones in processu feudali admittuntur?*

Affirm. et sic res magis allodialis, quam feudalis

lis praesumitur. STRVV. *cap. 16. th. 11.* ITTER. *cap. 25. §. ult. uid. supr. cap. 2. qu. 5.* Et feudum potius censetur esse proprium, quam improprium; *supr. cap. 3. qu. 6.* potius antiquum, quam nouum, si scilicet agnatus possideat; *cap. 3. qu. 21.* potius masculinum, quam femininum; *cap. 4. qu. 6.* potius ex pacto et prouidentia; quam hereditarium. *d. cap. 4. qu. 52.* ANTON. *Disp. XV. th. 7.*

25. *Vbi sententia feudalis ferenda?*

Regulariter in loco solito, uel ubi a partibus id conuentum, uel in loco utrique litigantium commodo; ANTON. *d. l. th. 8. litt. b.* hodie in aula principis. Si uero uasallus cum domino litiget, et locus solitus deficiat; domino electio est, modo locum tutum eligat. VVLT. *Lib. II. cap. 3. n. 31.*

26. *Quid autem in ferenda sententia maxime sequendum?*

Vid. *supra cap. 1. qu. 23.*

27. *An appellatio in caussis feudalibus admittitur?*

Affirm. quia in genere ea licita est, nisi expresse prohibita sit; et facit huc textus *1. F. 22. §. fin.* Quod et ad alia iuris ciuilis remedia extenditur, ut

ut restitutionis in integrum, reuisionis, nullitatis, cet. VVLT. *Lib. II. cap. 3. num. 28.*

28. *Ad quem uero in caussis feudalibus appellandum?*

Gradatim, ad iudicem feudalem proxime superiorem, uel, hoc deficiente, ad iudicem illius, qui in caussa feudali iudicauit, ordinarium. STRVV. *cap. 16. th. 9.* LVDW. *pag. 422.* Camara imperialis appellationem super feudi regali non recipit, cum harum caussarum cognitionem solus sibi reseruauerit Imperator: *supr. qu. 5.* super feudis uero mediatis appellatio in camara recipitur: BLVM. *Proc. cam. tit. 41. num. 8.* nisi dominus feudi habeat ius de non appellando; sicut et de feudis immediatis non regalibus camara cognoscit. ITTER. *cap. 25.* §. 7.

29. *Quaenam fatalia appellationis in feudalibus obseruanda?*

Cum speciatim aliud non dispositum, eadem obseruanda, quae iure communi. *Arg. 2. F. 1.* ANTON. *th. 8. litt. g.*

30. *Quis exsequitur sententiam feudalem?*

Dominus feudi, si facultatem exsequendi habeat: alias iudex ordinarius, qui talis est uel ratione domicilii, si actio personalis, uel rei sitae, si

ſi realis, cuius auxilium iudex feudalis implorabit. VVLT. *Lib. II. cap. 3. n. 29.* LVDW. *pag. 423.* Si imperator ſententiam tulerit, exſecutio non fit ab imperatore, ſed a ducibus circulorum: BLVM. *Proc. tit. 77.* ſi unus circulus non ſufficiat exſecutioni, uicini circuli in ſubſidium uocantur. Praemitti tamen ſolet *clauſula paritoria* in ſententiis imperatoriis, ut intra certos menſes ſententiae ſub poena pareatur.

31. *An dominus condemnatus in ſolidum excutiendus?*

Neg. ſed beneficium competentiae ei tribuunt doctores ad exemplum patroni; *L. 17. D. de re iudic.* LVDW. *d. loc.* modo non uaſallus aeque pauper ſit. SCHRADER. *Part. II. cap. 3. num. 93.*

32. *Sed quid, ſi uaſallus condemnandus?*

Beneficio competentiae non gaudet, quia eius diſpar ratio; niſi actu miles ſit. *L. 8. D. de re iud.*



AP-

APPENDIX

DE

SOLLEMNIBVS

INVESTITVRARVM

ET

TAXA

DIGNITATVM


IMPERII,

SVBLECTIS

QVIBVSDAM

IVRAMENTORVM

FORMVLIS.



Num. I.

Actus der chur- und fürstl. Sächs. Reichs-Lehen-Empfängnis.

DEn 31. Maji 1660. frühe um 8. Uhr fuhren die F. F. F. S. S. S. Magdeb. Merseburg. und Naumb. Herren Abgesandten zu denen beyden chur-fürstl. Sächs. Herren Abgesandten, blieben allda bis 9. Uhr, von da fuhren sie in zweyen Kutschen nach der käiserlichen Burg, in der einen Kutschen sassen der fürstliche Sächs. Magdeb. und der fürstliche Sächs. Naumb. Herren Abgesandten, in der andern die beyden Merseburgischen. So bald sie dahin kamen, seyn sie an dem Thore, da man in die käiserliche Residenz hinein gehet, und wo die Schweizer stehen, abgestiegen, und hinauf gangen, erstlich durch den Ritter-Saal in die eine *Anticameram*, allwo die Herren Räthe, andere Standes-Personen, und Cavallire sich zu versammlen pflegen, gegen 10. Uhr kamen auch die chur-fürstl. Sächs. Herren Abgesandten. Als sie nun eine kleine Zeit verzogen, und daß ihro käiserliche Majest. in solcher andern *Anticamera* auf dero käiserl. Thron sich begeben würden, einige Nachricht

erhalten hatten, versammleten sich die chur- und fürstl. F. F. S. S. S. S. Magdeburg. Merseburg. und Naumburg. *item* die fürstl. Weimarischen und Gothaischen, sämmtlichen Herren Abgesandten in der ersten *Anticamera*, aus welcher *Anticamera* die Abgesandten in solchen Fällen herein kommen, und mit gewöhnlichen Ceremonien zu erscheinen pflegen. Indem kamen ihro käiserl. Majestät durch dero Raths-Stube mit vielen Hof-Cavalliren begleitet, in diese also genannte *Anticameram*, und trug der Ober-Hof-Marschall deroselben das blosse **Schwerdt** vor, mit welchem er auch, als ihro Majestät auf den käiserl. Thron sich gesetzet, vor dieselbe trat, einen Reverenz und Kniebeugen ablegete, und nachdem zur **Rechten** ihro käiserl. Maj. sich stellete, besser herunter trat der Ober-Hof-Meister, der **Herr Graf von Porzia**, weiter herunter der Erb-Kücher-Meister, Erb-Schaz-Meister, Ober-Mund-Schenck ꝛc. auf der **Lincken** stund der Herr Reichs-Vice-Canzler, besser unter ihm der Herr Graf **vom Lamberg**, *item* der Herr Graf von **Herberstein** ꝛc. Der Ort, wo der käiserliche Thron stand, war etwas erhoben, und war der käiserl. Thron von weissen schlechten Bretern gemacht, und also bedecket, daß man hiervon nichts zu sehen bekam, bis daß der Actus ausgieng, und alles wiederum aufgehoben wurde, es war aber über obgedachtem Stuhl gelber Mor gebreitet, und zugleich an den Teppicht, so an der Wand hieng, angehäftet. Ueber dem Thron war ein Himmel von

von gewirckten Sachen allerhand Farben, jedoch ohne einiges Gold, schien auch ziemlich ältlich, und war eben dieses, davon oben gedacht worden. Als nun alles in seiner Richtigkeit, wurde denen sämmtlichen chur- und fürstl. F. F. F. F. F. S. S. S. S. S. S. Sächsischen Herren Abgesandten angesagt, daß sie nun erscheinen möchten. Hierauf kamen

Die beyden Herren chur-fürstl. S. der fürstl. S. Magdeb. der fürstl. S. Merseburg. und der fürstl. S. Naumb. Herren Abgesandten.

Die zwey fürstl. Sächs. Altenb. Herren Abgesandten.

Die fürstl. S. Weimar. und der fürstl. S. Gothaische Herren Abgesandten.

Fielen nach gethanen Reverenz ein 4. Schritt von der Thür, sämmtlichen auf die Knie, stunden darauf auf, giengen ein 6. Schritte fort, machten Reverenz, und fielen abermal auf die Knie, (da entblößten ihro käiserl. Majestät das Haupt, bedecktens aber alsobald wieder.)

stunden wieder auf

Und giengen bis zur Bühne, daran sie sämmtlich wieder auf die Knie fielen, und machte die Chur-linie die erste, Sachsen, Altenburg, Weimar, und Gotha die andere Reihe, blieben also knien, und that 1. der churfl. Principal Herr Abgesandte, der von Burckersrode, darauf die Petition wegen des Chur-

Fürstenthums Sachsen, *item* wegen des Vicariats der Burggrafthümer Magdeburg und Meissen, und was dahin gehöret, vor ihro churfürstl. Durchl. und von dero F. F. F. H. H. Herren Brüder, wegen der ihrigen Lande, und der gesammten Hand gegen und unter einander, wie auch wegen der gesammten Hand, an der ander Herzogen zu Sachsen, als Altenburg, Weimar, und Gothaischer Linie Landen rc. entschuldigte der chur- und F. F. F. Principalen Abwesenheit.

2. Nach geschehener Petition stunden sie sämmtlich auf, und knieten die beyden fürstl. Sächs. Altenburg. vor, hinter diesen der fürstl. Sächs. Weimarische und Gothaische Abgesandter, hinter diesen und in der dritten Reihe der eine churfl. Sächs. (der andere churfl. und Principal-Abgesandte aber, der von **Burckersrode**, blieb stehen) denn die F. F. F. S. S. S. Magdeb. Merseburg. und Naumb. und that der fürstl. Sächs. Altenburg. Principal-Abgesandte die Petition für Herzog **Friederich Wilhelms** Lande, und um die gesammte Hand der Herren F. F. S. S. Herren Vettern, Weimarischer und Gothaischer, und endlich churfürstl. Sächs. Linien.

3. Nach geschehener Altenburg. Petition stunden die beyden Altenburg. und die fürstl. F. S. S. Weimarischen und Gothaischen auf, und kniete Weimar und Gotha voran, die beyden Altenburg. nach, die von der Churlinie aber blieben in der dritten Reihe (davon abermals der churfl. Sächs. Principal-

pal-Abgesandte stehen blieb,) knien, und that der Weimarische Abgesandte die Petition, um würckliche Belehnung der beyden Herzoge ihrer Lande, und *alternatiue* unter einander um die gesammte Hand, nachmals um die gesammte Hand der Altenb. und endlich der chur-fürstl. Linien.

4. Als auch diese Petition verrichtet, stunden die sämmtlichen chur- und F. F. F. F. F. F. S. S. S. S. S. S. S. Herren Abgesandte auf, und kniete 1. der churfürstl. Sächs. Principal-Abgesandte, 2. der Altenburgische Principal-Abgesandte, 3. der Weimarische Abgesandte vor der Bühne neben einander nieder, die andern Herren Abgesandten giengen etwas zurück, blieben insgesammt also stehen, und begehrte der churfürstl. Sächs. Principal-Abgesandte vor ihro chur-fürstl. Durchl. und dero F. F. F. H. H. H. Brüdere, *item* vor Altenburg und Weimarischer Linien, die Lehen der Jülischen, Clevischen, und Bergischen Lande.

Da nun diese 4. *Petitiones* abgeleget, traten die von der Churlinie wieder vor, und machten eine Reihe, hinter ihnen aber Altenburg, Weimar, und Gotha zusammen, und machten die andere Reihe, knieten also vor der Bühne insgesammt wieder nieder, und erwarteten der käiserl. Resolution.

Der Herr Reichs-Vice-Canzler nahm solche von ihro käiserl. Maj. auf einem Knie kniend ein, und antwortete *in genere* auf aller ihr Vorbringen, berührte sonderlich, daß ihro Maj. die Entschuldigung wegen der sämmtlichen höchst- und hochgedachten

dachten chur- und fürstl. F. F. F. F. F. H. H. H. H. H. H. Herren Principalen Abwesenheit vor diesesmal annehme, und sollten sie die Belehnungen begehrter massen empfahen. Es blieben ihro käiserl. Maj. der sämmtl. Abgesandten chur- und fürstl. F. F. F. F. F. H. H. H. H. H. H. Herren Principalen *respective* mit Freundschaft und käis. Hulde beygethan, denen Herren Abgesandten aber mit käiserlichen Gnaden gewogen.

Hierauf stunden die sämmtlichen Herren Abgesandten auf, und knieten nach gethaner Reverenz vor Ihro käiserl. Majestät nieder, allwo sie ihre *Juramenta*, welche ihnen der Reichs-Vice-Canzler vorlase, ablegeten, ihre Finger musten sie jedesmal auf das Evangelium-Buch, so ihro käiserl. Maj. im Schoos liegen hatten, legen, und also schwören, es hielten solches auf der rechten Seiten der Ober-Hof-Meister, der Herr Graf von Porzia, *item* auf der Lincken Herr Graf von Lamberg, ihro käiserl. Maj. aber sassen, bis die *Juramenta* sämmtlich abgeleget waren, mit entblößtem Haupte, und hielten indessen deroselben Hut der Herr Graf von Herberstein, nahmen, so oft ein Jurament abgeleget worden, das blosse Schwerdt von dem Ober-Hof-Marschall in ihre Hände, und liessen den, so die Pflicht abgeleget hatte, desselben Knopf küssen.

Wie aber 4. *Petitiones* geschehen, also wurden auch 4. *Juramenta* abgeleget, und wurden *in specie* bey jedweden gehalten, wie folgt:

1. Bey

1. Bey Ablegung der ersten Lehens-Pflicht knieten die fünfe von der Chur-Linie neben einander vor dem käiserl. Thron nieder, legten wegen ihrer chur- und fürstl. F. F. H. H. H. H. Herren Principalen die Lehens-Pflicht ab, und küsseten den Knopf des Schwerdtes, so ihro käiserl. Maj. in Händen hatte; Altenburg, Weimar, und Gotha aber knieten in einer Reihe nach, und griffen an der Herren Abgesandten von der Churlinie ihre Mäntel.

2. Bey Ablegung der andern Lehens-Pflicht knieten die Altenburgische vor, und legten ihres fürstl. Herrn Principalen wegen die Pflicht ab, küsseten den Knopf 2c. Weimar und Gotha knieten nach, hinter diesen die von der Churlinie, griffen als Mitbelehnte an, doch blieb von ihnen der churfl. Principal-Abgesandte stehen.

3. Bey der dritten Lehens-Pflicht knieten Weimar und Gotha zugleich vor, legten wegen ihrer beyden F. F. H. H. Principalen die Pflicht ab, und küsseten den Knopf am Schwerdte, Altenburg kniete nach, hinter diesen die von der Churlinie, und griffen wegen der gesammten Hand an, der churfürstl. Principal-Abgesandte blieb abermal stehen.

4. Bey der vierdten Belehnung kniete der 1. churfürstl. der 1. Altenb. und der Weimarische, legten wegen Jülich die Pflicht ab, und küsseten den Knopf, die andern sämmtlichen Gesandten traten ab.

Als nun auch diese Lehens-Pflicht abgelegt, und die sämmtlichen Herren Abgesandten in ihrer chur- und fürstl. F. F. F. F. F. S. S. S. S. S. S.

S. S. H. H. H. H. H. H. H. Principalen Seelen geschworen, bedeckten sich ihro käiserl. Maj. und stunden diese letzten dreye auf, machten vor derselbigen einigen Reverenz und Kniebeugen, giengen rückwerts zu denen andern Herren Abgesandten, so unter der Bühne stunden, knieten mit ihnen nieder, so daß die von der Churlinie die eine Reihe, die Altenburg. Weimarisch. und Gothaischen, die andere Reihe machten, und that der Churfürstliche Principal-Abgesandte eine eigene allerunterthänigste Dancksagung. Nach derselben stunden sie allesammt wiederum auf, machten einigen Reverenz und Kniebeugen, giengen in der Ordnung, als wie sie hinein gangen, rückwerts fort, in der Mitte des Zimmers machten sie abermal einen Reverenz, und fielen auf die Knie, (da denn ihro käiserl. Maj. ihr Haupt entblößten, doch bald wieder bedeckten). Lezlich als sie vier Schritte von der Thür des Zimmers waren, machten sie noch einen Reverenz und Kniebeugen, fielen abermal auf die Knie, stunden darauf wieder auf, und giengen rücklings zum Zimmer hinaus.

Nach diesem Abtritt kam der chur-fürstl. Principal-Abgesandte, der von **Burckersrode**, welcher von des postulirten *Administratoris* des Privat- und Erz-Stifts Magdeburg fürstl. Durchl. der Erzstiftischen Belehnung beyzuwohnen gnädigst ersuchet worden, und mit ihm der fürstl. Sächs. Magdeburg. Canzler, *D.* **Michael König**, als anderer Abgesandte, suchten nach abgelegten dreyen Kniefallen,

allen, (da bey dem andern gleichfalls ihro käiser-
liche Maj. das Haupt entblößeten) die Lehen ü-
ber das Erz-Stift Magdeb. der F. S. Mag-
deb. Canzler und Abgesandte, Herr *D.* Michael
König aber that die Petition.

Der Herr Reichs-Vice-Canzler nahm von ihro käiserl. Maj. auf einem Knie die allergnädigste Resolution ein, antwortete darauf mit wenigem, es nähme ihro käiserl. Maj. vor diesesmal die Entschuldigung des F. S. H. Principalen Abwesenheit an, und sollte ihrem unterthänigsten *Petito* deferiret werden ꝛc. Knieten darauf nieder, legten die Finger auf das Evangelium-Buch, so, wie sonsten, auf beyden Seiten gehalten wurde, nach abgelegter Pflicht, küsseten sie den Knopf des Schwerdtes, ihro käiserl. Majest. bedeckten ihr Haupt darauf. Sie aber, die Herren Abgesandten, traten auf Art und Weise, als der Zutritt war, wieder ab. Ferner und nach diesem kamen die fürstl. Sächs. Merseburg. beyden Herren Abgesandten, bäten gleichfalls um die Belehnung des Stifts Merseb., gieng zu, wie bey der Erzstiftischen Belehnung, und bedeckten nach abgelegter Lehens-Pflicht ihro käiserliche Maj. ihr Haupt.

Lezlich kam der fürstl. S. Naumburgische Herr Abgesandte, suchte auf ebenmäßige Art die Belehnung des Stifts Naumburg, gieng mit den Solennitäten zu, wie bey denen andern gedacht, und wurde hiermit beschlossen, ihro käiserl. Majest. aber begaben sich zur Tafel.

Num. II.

Num. II.

Des Hauses Sachsen Belehnung über die vom Königreich Böhmen habende Lehene.

